BIBLIOTECA VITT. EMANUELE FONDO EBORENSE
31
9 C
28

Digitized by Google

# HISTORIA

## UTRIUSQUE TESTAMENTI

AUCTORE


CAROLO ANTONIO ERRA

Mediolanenſi Congregationis Clericorum
Regularium MATRIS DEI.


## TOMUS OCTAVUS.

A SPIRITU SANCTI ILLAPSU IN APOSTOLOS
USQUE AD SCRIPTAM PER S. JOANNEM
EVANGELISTAM APOCALYPSIM.


VENETIIS MDCCLXI.

APUD SIMONEM OCCHI

*Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.*

A [illegible]

# TABULA

## CHRONOLOGICA

*in Tomum octavum, ſive in Acta Apoſtolorum.*

Quo melius horum annorum ſeries percipiatur, conſulenda eſt Tabula Chronologica Tomo quinto præfixa, atque huc revocanda quæ Tomo ſexto, libro undecimo, capite quinto, late digeſſimus.

ANNO CHRISTI 33 Sanctus Matthias loco Judæ ſufficitur. Spiritus ſancti in Apoſtolos illapſus. Septem Diaconorum electio. Sancti Stephani Martyrium. S. Jacobo minori Hieroſolymorum Epiſcopatus defertur. S. Philippus Diaconus Eunuchum Candacis baptizat. Pilatus de morte Jeſu Chriſti litteras dat.

35 S. Pauli converſio. Apollonius Thianæus populos ſeducit.

37 S. Paulus Hieroſolymam, ac deinde Tharſum venit.

38 S. Petrus facile hoc anno Eccleſiam Antiochenam, poſt baptizatum Cornelium, inſtituit.

43 S. Barnabas S. Paulum Antiochiam adducit.

44 S. Jacobus major juſſu Herodis interficitur. S. Petrus e carcere liberatur.

45 Forte hoc anno Petrus Romam venit. Prima ipſius Epiſtola.

A. C.

51 Concilium Hieroſolymitanum.
52 S. Paulus Athenas venit.
53 Geminas Epiſtolas Corintho ad Theſſalonicenſes ſcribit.
54 Epheſum petit, quo poſt iter Hieroſolymitanum & Antiochenum ſe ſe reſtituit, ibique triennio moratur.
55 Ad Galatas ſcribit.
56 Prima ad Corinthios Epiſtola.
57 In Macedoniam divertit. Altera ad Corinthios Epiſtola.
58 Epiſtola ad Romanos. Fidelium eleemoſynas in Palæſtinam defert. In Templo capitur.
59 Cæſaræam transfertur.
60 Cum Imperatorem appellaſſet, Romam mittitur, ubi biennio in vinculis moratur.
62 Epiſtola ad Philippenſes. Scribit etiam ad Coloſſenſes.
Facile hoc anno S. Jacobus Minor Hieroſolymorum Epiſcopus martyrium ſubit.
63 Epiſtola ad Hebræos poſt ſoluta Pauli vincula ſcripta creditur.
64 In Macedoniam venit, unde ad Timotheum primam Epiſtolam ſcribit.
Epiſtola ad Titum.
65 S. Petrus alteram Epiſtolam Roma ſcribit, ubi una cum S. Paulo carcerem ſubit.
Epiſtola S. Pauli ad Epheſios.
Altera ejuſdem ad Timotheum.
66 Hoc anno ex multorum ſententia S. Petrus & S. Paulus martyrium ſubiere.

# INDEX CAPITUM.

## LIBER DECIMUS QUINTUS.

CAP. I. *Apoſtoli Spiritui ſancto excipiendo ſe ſe comparant. Matthias in locum Judæ ſortito ſufficitur. Quiſnam Barſabas? Spiritus ſancti in Apoſtolos illapſus. Die Dominica deſcendit. Tria Judæorum millia Petro prædicante convertuntur. Baptizantur immerſione; non vero aſperſione, aut infuſione. Variæ de linguarum dono ſententiæ.* Pag. 1.

CAP. II. *Prioris Eccleſiæ mores. Petrus, & Joannes claudum ſanant. Quinque virorum millia convertuntur. Judæorum in Apoſtolos molitiones.* 13

CAP. III. *Barnabas prædium vendit. Mendacium Ananiæ, & Saphiræ morte punitur. Apoſtolorum apud Tribunalia vices. Septem Diaconorum electio. Variæ de Nicolao ſententiæ. S. Stephani martyrium.* 19

CAP. IV. *Fidelium diſperſio. Philippus Samaritanos baptizat. Baptiſmus in nomine Chriſti collatus. Simonis magi ſcelus, doctrina, interitus. Eunuchus Reginæ Candacis baptizatur.* 34

CAP. V. *S. Pauli converſio. Is Damaſco fugiens Hieroſolymam deducitur. Recipit ſe Tharſum. S. Petrus Eccleſiam Antiochenam fundat, paralyticum ſanat, & mulierem mortuam ad vitam revocat.* 46

CAP. VI. *Cornelius Centurio ad Fidem convertitur. Petrus Gentibus portas Eccleſiæ aperiendas eſſe cœlitus docetur. Judæorum ea de re querelæ. Diſcipuli Antiochiæ primum Chriſtiani appellantur. Eo Barnabas, & Saulus veniunt. Fames graſſatur.* 53

CAP. VII. *Jacobus Major Herodis juſſu interficitur. Petrus in carcerem detruſus, ab Angelo liberatur. Herodes miſerabili letho abſumitur. Petrus Romam venit,*

*venit, ibique Eccleſiam conſtituit, ac primam Epiſtolam ſcribit. Apoſtolorum diviſio. Symbolum. Paulus, Saulus, & Barnabas ad gentes mittuntur. Saulus Barjeſum cæcitate punit. Sergius Paulus convertitur. Saulus nomen in Paulum mutatur. Pauli, & Barnabæ prædicatio. S. Thecla convertitur. Pauli labores.* 59

CAP. VIII. *Legalium cauſſa in Concilio Hieroſolymitano definitur. Concilii Decretum diſcutitur. Paulus arguit Cepham non alium a Petro. Hieronymi & Auguſtini variæ de ea re opiniones. Legalia non ſimul mortua, & mortifera. Pauli doctrina Apoſtolis probatur. De Joanne Marco inter Paulum & Barnabam diſſidium. Paulus Timotheum circumcidit. Dei juſſu in Macedoniam proficiſcitur, expulſo ex Pythoniſſa Dæmone in carcerem truditur, liber abire permittitur. Unde Paulo jus Romanæ civilitatis.* 79

CAP. IX. *Paulus Theſſalonicæ vexatus Athenas venit, ubi cum Chriſtum prædicaſſet, ad celeberrimum Areopagitarum Tribunal adducitur. Pauli concio. S. Dionyſii Acta, & ſcripta. Ara* Deo ignoto *ſacra.* 96

CAP. X. *Paulus Corintho geminas epiſtolas ad Theſſalonicenſes mittit. Adventantis Antichriſti indicia. Traditiones retinendæ. Paulus Judæos deſerit, ad Proconſulem rapitur, Nazareatus votum ſolvit. Apollo floret. Paulus Eccleſiam Epheſinam fundat. Apollonio Thyanæo ſeſe opponit, cum beſtiis pugnat, ad Galatas ſcribit. Prima ipſius ad Corinthios epiſtola. Baptiſmus pro mortuis. Filii Scevæ exorciſmis vacant. Demetrius perſecutionem movet.* 107

CAP. XI. *Paulus alteram ad Corinthios epiſtolam ſcribit. Illius raptus, & tentatio. Epiſtola ad Romanos. Prædeſtinatio ad Gratiam eſt gratuita; an etiam ad Gloriam. Num Paulus in Hiſpaniam*

niam iverit? Philoſophis Gentilibus nulla ſalus. Divinitas Chriſti aſſerta. Paulus mortuum excitat, & Epiſcopos alloquitur. 131

CAP. XII. *Agabus Paulo vincula prædicit. Paulus legalia exercet. A Judæis captus ſuam converſionem narrat. Alapha cæſus in Concilio ſuam cauſam tuetur. Judæorum in Paulum conjuratio. Lyſias Paulum Cæſaræam mittit, ubi coram Felice ſe defendit. Felicem, & Druſillam alloquitur. Feſto in Judæos inclinante Cæſarem appellat. Verba coram Agrippa facit, a quo inſons judicatur.* 145

CAP. XIII. *Pauli in itinere Melitenſi naufragium. Fueritne Melita Africana, an Illyricana? Melita Pauli miraculis illuſtratur. Paulus Romam venit. Ex Judæis quidam ei credunt, quidam minime. Libri actuum Apoſtolorum auctor, argumentum, tempus &c.* 159

LIBER DECIMUS SEXTUS.

CAP. I. *Paulus in vinculis Evangelium prædicat. Literæ inter Paulum, & Senecam commentitiæ. Epiſtola ad Philippenſes. Paulus virginitatem coluit. Oneſimi converſio. Epiſtola ad Philemonem. Epiſtola ad Coloſſenſes. Superſtitioſus Angelorum cultus. Quænam Laodicenſium epiſtola? Epiſtolæ ad Hebræos, tempus, auctor, idioma, argumentum. Paulus pœnitentiæ Sacramento, Verbi Divinitati, Eccleſiæ miniſterio, & Miſſæ ſacrificio minime contrarius.* 171

CAP. II. *Varia S. Pauli itinera. Prima ipſius ad Timotheum Epiſtola. Deus omnium ſalutem vult. Pauli ad Titum Epiſtola. Paulus ſecundo Romam veniens carceri mancipatus. Petro fugienti Chriſtus occurrit. Secunda Petri Epiſtola. Divina Bibliorum inſpiratio. Igne Mundus abſumendus. Paulus iram Neronis declinat. Altera Pauli ad Timotheum epiſtola. Idem ad Epheſios ſcribit. Petri, & Pauli martyrium, ſepultura, forma. Quo tempore obierit. Libri illis ſuppoſiti.* 189

Cap. III. *De Joachimo, & Anna B. Virginis Parentibus traditio. Singularis de illis narratio. Utrum Anna tribus viris nupſerit? Certus eſt B. Virginis obitus, licet obieritne Epheſi, an Hieroſolymæ ignoretur. An illius funeri adfuerint Apoſtoli? B. Virginis forma, imagines, literæ.* 211

Cap. IV. *Mira fidei per univerſum mundum propagatio. Variis criminibus Chriſtiani inſimulantur. Scriptores de Apoſtolis ut plurimum ſilent. Res a S. Andrea geſtæ, ejuſque martyrium. Quid ſentiendum de illis actis? SS. Jacobus, & Joannes Fratres Dominum ſequuntur. S. Jacobi prædicatio, & martyrium. S. Joannis caritas, itinera prædicatio, acta, exilium, obitus.* 223

Cap. V. *S. Joannis Evangeliſtæ ſcripta. Prima illius Epiſtola. Errores a Joanne impugnati. Veritas de tribus teſtibus aſſeritur. Quæ a Patribus de Antichriſto aſſeruntur. Secunda, & tertia Joannis Epiſtolæ. Apocalypſis ſcriptum, auctoritas, & epocha. Varia interpretum ſiſtemata. Calmeti meditamenta de Romani Imperii caſu. Animabus plene purgatis Dei viſio non differtur. Opinio millenariorum confutata.* 236

Cap. VI. *Quæ Evangelium de S. Thoma referat. Provinciæ, quas prædicatione illuſtravit. Res ab eo geſtæ. S. Thomæ martyrium, & corporis translatio. Apocrypha illi attributa. S. Thaddæus Diſcipulus ad Abagarum legatur. Duo tantum SS. Jacobi. Quomodo Jacobus minor fuerit frater Domini, & Hieroſolymarum Epiſcopus? Ejus ſanctimonia, & in ſanctuarium ingreſſus. Obit martyr. Scripſit Epiſtolam, cujus exhibetur argumentum. Quot ſunt Epiſtolæ catholicæ? De extrema unctione errores.* 256

Cap. VII. *De SS. Apoſtolis Philippo, Bartholomæo, Matthæo, Simone, Juda, ſive Thaddæo, & Matthia, & de SS. Evangeliſtis Marco, & Luca.* 277

# HISTORIA
## UTRIUSQUE TESTAMENTI.
## LIBER DECIMUS QUINTUS.

*Apoſtoli Spiritui ſancto excipiendo ſe ſe comparant. Matthias in locum Judæ ſortito ſufficitur. Quiſnam Barſabas? Spiritus ſancti in Apoſtolos illapſus. Die Dominica deſcendit. Tria Judæorum millia Petro prædicante convertuntur. Baptizantur immerſione, non vero aſperſione, aut infuſione. Variæ de linguarum dono ſententiæ.*

### CAP. I.

ANNO CHRISTI 33. *Apoſtoli Spiritum S. præſtolantur.*

I. POſt receptum in Cælum Jeſum Chriſtum, Apoſtoli, qui tanto ſpectaculo teſtes adfuerant, Hieroſolymam, a monte Oliveti unius itineris ſabbatici ſpatio diſſitam, regreſſi, Spiritus ſancti illapſum, domi clauſi, metuentes, ne ab Judæis inſectarentur, jugibuſque orationibus vacantes, ac mutuo caritatis vinculo conjuncti, expectabant, juxta ac Salvator illis præceperat (*a*). In cujus ædes Apoſtoli convenerint, ambigitur: ſunt enim qui Templi conclave fuiſſe velint; alii Joannis Evangeliſtæ domum, alii Si-



(*a*) Act. 1. 4. 8. 12.

Simonis Leproſi, alii Joſephi ab Arimathæa, alii Nicodemi, alii Mariæ matris Joannis, cognomento Marci (*a*). Poſtrema hæc ſententia idcirco ceteris præfertur, quod Petrus, deinde e carcere ſubductus, eo ſe ſe contulerit, ubi ſocii morabantur (*b*). Quæ olim domus Apoſtolos collectos tenuit, ſive ut expectarent, ſive ut acciperent Spiritum ſanctum, poſtea in Templum conſecrata, per plura ſæcula manſit. Quare vel in urbis excidio per Romanos, incolumis evaſit, ut ſcribit Epiphanius, vel communi fato cum ceteris everſa, deinde reparata, iterum ſtetit, ut alii putant. Eccleſiam ſuperiorem & Apoſtolorum, hanc appellabant. Sita erat in monte Sion, ibique Levita Stephanus initiatus fuiſſe creditur (*c*).

*Matthias ſortito eligitur.*

II. Dum excipiendo Spiritui ſancto ſe ſe Apoſtoli, unaque piæ mulieres, ac Maria Jeſu Chriſti Mater compararent, Petrus tamquam Collegii Apoſtolici Princeps, partium ſuarum duxit, ut de ſubſtituendo ſucceſſore in locum Judæ cogitaret; memor dictum ſibi fuiſſe a Domino: *Confirma fratres tuos* (*d*). Coactos igitur ſimul omnes fratres, numero fere centum viginti, alloquens, expoſuit, Judam deſperatione adactum ſuſpendio ſibi vitam ademiſſe, diſruptumque medium viſcera ſua omnia in terram diffudiſſe; oportere proinde virum ſeligere, qui Epiſcopatum illius

juxta

(*a*) Baron. Cornel. Calm.

(*b*) Act. XII. 11.

(*c*) Calm. in Act. 1. 13.

(*d*) Luc. XXII. 32.

juxta Davidicum oraculum teneret (*a*); neminem autem tanto muneri cenſendum eſſe parem, qui Jeſu familiariſſime uſus non fuerit. Delecti ſunt Joſephus, quem Barſabam etiam, & Juſtum vocabant, & Matthias. Deinde vero, ne quid ex arbitrio ſuo Apoſtoli agere viderentur, Deum precati ſunt, ut quem aptiſſimum ex illis haberet, illum ſortium indicio deſignaret. Nec mora, jactæ ſortes ſuper Matthiam ceciderunt; ſtatimque inter Apoſtolos adlectus eſt (*b*). Dionyſius Areopagita, vel Scriptor qui tanto nomine claret, perſuaſum habuit, S. Matthiam divino quodam dato ſigno Apoſtolis indicatum fuiſſe (*c*). Quid maxime fuerit ſignum illud, non manifeſtat; ſed ejus ſilentium ſupplentes Interpretes, alii radium quemdam caput ipſius ſubito ferientem ſuſpicantur; alii quodam fulgore ſcriptum ejus nomen emicuiſſe; alii columbam ei inſidentem; alii virgam præ manibus floreſcentem; ac tandem alii prophetico ſpiritu afflatum illico virum credunt. Gagnæus autem aliique omnem miraculi rationem amoventes, docent, Apoſtolos datis ſuffragiis S. Matthiam in ſuum Collegium cooptaſſe, quæ ipſorum ſuffragia ſortium nomine S. Lucas deſignaverit. Hi pronam ſortium vocis notionem evertunt. Quare nos incommodum hoc evitare volentes, dicimus, duorum virorum Joſephi & Matthiæ nomina in duabus ſchedis, vel lapillis ſcripta in vas aliquod conjecta fuiſſe, extractumque de-

A 2 inde

(*a*) Pſal. cviii. 8.
(*b*) Act. i. 23.
(*c*) Eccl. Hierarch. c. 5.

inde alterutrum in Apoſtolum Apoſtolos elegiſſe. Hæc nobis indita de electione per ſortes idea, vel ſaltem id, aut quid ſimile obtinere in ſortibus conſtat. Quamvis vero apud Hebræos Sacerdotum, aliorumque ſacrorum Miniſtrorum electiones a ſortibus non penderent, munera tamen in Templo obeunda ſortito diſtribuebantur; quare morem hunc in electione S. Matthiæ forte ſibi præſtituerunt Apoſtoli (*a*).

*Barſabæ acta latent.*

III. De Barſaba ſingulare illud narrat Papias, quod poti veneni exitium ſervante Chriſto evaſerit (*b*). Chronicon Alexandrinum tradit, Joſephum Barſabam unum eſſe eumdemque ac Juſtum, qui Eccleſiæ Hieroſolymitanæ tertius Epiſcopus præfuit circa annum Chriſti 107. Vix tamen credimus, vitam eo uſque produxiſſe. Nonnulli Codices legunt *Barnabas* pro *Barſabas*; cumque Barnabas Pauli ſocius appellatus fuerit pariter & Joſe, ſive Joſephus (*c*), hinc quibuſdam alter cum altero confunditur; perperam tamen, quia S. Lucas iis, quæ infra (*d*) ſubdit de Barnaba Pauli ſocio, demonſtrat, nuſquam antea de illo ſermonem a ſe factum fuiſſe. In Martyrologiis Uſuardi & Adonis ad diem 20. Julii Barſabas in Judæa Martyr obiiſſe dicitur. Hæc ſunt quæ de tanto viro habent Scriptores. Ceterum

(*a*) 1. Par. XXIV. 5. 7. 31. XXV. 8. 9. & XXVI. 13. 14. Luc. 1. 9. Ambroſ. in Luc. 1.

(*b*) Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 39.

(*c*) Act. IV. 36.

(*d*) Act. IV. 36.

terum ipſum ex primis, & veroſimiliter ex 70. Chriſti Diſcipulis fuiſſe, nulli dubitamus.

*Spiritus Sanctus in Apoſtolos illabitur.*

IV. Poſt quinquaginta a Paſchate dies, recurrente Pentecoſtes ſolemnitate, circa tertiam diei horam, dum adhuc Apoſtoli cum Diſcipulis, piiſque mulieribus, ac B. Maria orationibus intenti ſimul morarentur, ingens ſubito fragor, improviſæ inſtar ventorum procellæ, omnium aures feriit, totamque late domum implens concuſſit. Globus ad hæc igneus apparuit, qui veluti in totidem ignitas linguas diſtributus, ſingulis præſentibus inſedit, qui ſtatim divino Spiritu, cujus præſentiam fragor & ignis teſtabantur, pleni, variis linguis eruditi, pro vario Numinis magiſterio, apparuerunt (*a*).

*Spiritus S. die Dominico illapſus eſt.*

V. De die, qua Spiritus ſanctus deſcendit, variant Scriptores. Moderni enim complures Sabbatum malunt (*b*); ſed vetuſta Eccleſiæ traditio diem Dominicam præfert (*c*). Contra poſteriorem ſententiam hæc urgerentur. Pentecoſtes celebrari debebat poſt 50. dies a ſecunda die Azymorum, ſive a decima ſexta menſis Niſan, cui *Homer*, ſive manipuli novi hordei oblatio, deſtinata erat, enumeratos (*d*). Alibi autem conſtituimus, primam Azymorum diem, ſive Paſcha, eo anno, quo Chriſtus obiit, in diem Veneris incidiſſe; quare manipuli oblatio ad alteram diem, nempe Sabbatum rejicienda. Si quis vero exin-



(*a*) Act. II. I. 2.

(*b*) Serry exercit. 62.

(*c*) S. Leo Serm. de Pentec.

(*d*) Levit. XXIII. 15. Joſeph. Antiq. l. 3. c. 10.

de 50. dies enumeret, illorum poſtremum, cui Pentecoſtes Feſtum annexum erat, in Sabbatum pariter incidiſſe, compertum habebit. Huic elevandæ difficultati, quidam reſpondent, 50. dies enumerandos fuiſſe a die tertia Azymorum, ſi ſecunda Sabbato alligata fuiſſet, ut contigit anno Paſſionis Chriſti; ii enim ceteris renitentibus putant, vetitam fuiſſe die Sabbati manipuli meſſionem (*a*). Nonnulli cenſent, non commemorari in Actibus Apoſtolorum Judaicam Pentecoſten, ſed Chriſtianam. Alii excludunt a numero quinquaginta dierum, ſecundam Azymorum. Ceteri tandem illa verba, *Cum complerentur dies Pentecoſtes*, ita reddunt: *Cum elapſus eſſet dies Pentecoſtes* (*b*). Chriſtus ſane quæ præfigurabantur alicujus diei typo, die ſequenti complere ſolemne habuit, facile ut oſtenderet tranſitum de umbra ad veritatem. Ita Agnus Paſchalis mactabatur die 14. Niſan, Chriſtus immolatus eſt die 15. Manipulus primitiarum, ſive *Homer*, offerebatur die 16. Chriſtus, *primitiæ dormientium* (*c*), reſurrexit die 17. Sabbatum in Dominicam tranſivit. Quid ergo mirum, ſi idem Chriſtus conſecrare voluerit ſancti Spiritus illapſu non Pentecoſten Judaicam, quæ in Sabbatum incidere debuit, ſed diem ſequentem, quæ deinceps futura erat Chriſtianorum Pentecoſtes?

*Apoſtoli variis linguis loquŭtur. Prædicante Petro tria millia baptizantur.*

VI. Verſabantur eo tempore Hieroſolymis piiſſimi, atque religioſiſſimi ex omnibus gentibus

(*a*) Baron. Bellar.
(*b*) Berti l. 33. c. 2.
(*c*) 1. Cor. xv. 20.

tibus Judæi, qui ibidem domicilium habebant, aut eo ad Pentecoſtes Feſtum de more venerant; cumque ad ſtrepitum in domo, ſive cœnaculo Apoſtolorum inſonantem plures conveniſſent, hæſerunt ſtupentes, quod homines in Judæa, vel Galilæa nati, vernacula illius, quem forte obvium habuiſſent, lingua ſermonem miſcerent; græce cum Græco, perſice cum Perſa, ægyptiace cum Ægyptio, latine cum Latino, & ſic cum Partho, Medo, Ælamita, Capadoce, ceteriſque advenis, loquentes (*a*). Non deerant, qui rem totam vini hauſti miraculo deputarent; quam quidem calumniam Petrus cum ſociis repulſurus: Quid nos, ait, ebrios putatis, cum ſit hora diei tertia? In Feſtis Judæi nonniſi meridie cibum capiebant (*b*); atque hora tertia precibus deſtinata erat, non refectioni (*c*). Oſtendit deinde Apoſtolus, non vino, ſed ſancti Spiritus æſtro Chriſti Diſcipulos eſſe abreptos juxta Joelis vaticinium, qui crebros inter Judæos futuros Prophetas, & Prophetides prædixerat (*d*). Tot, adjecit Petrus, tantiſque inter vos Jeſus Chriſtus miraculis coruſcavit, ut virum eſſe a Deo miſſum, nulla vobis juſta supereſſe poſſit dubitatio. Divinis conſiliis decretiſque de Mundo in ſanguine illius expiando, cum illum in Romanorum manus crucifigendum traderetis, imprudentes veſtram operam contuliſtis. Hunc Deus vinculis mortis exolutum



(*a*) Act. II. 6.
(*b*) Joſeph. de vita ſua.
(*c*) Act. III. 2.
(*d*) Joel. II. 28.

vitæ reſtituit, extulitque in Cælum, atque ad dexteram ſuam collocavit. Illius autem Reſurrectionem præ oculis habebat David, cum Deum alloquens diceret: *Non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*a*); quemadmodum ejuſdem ad Cælum Aſcenſionem deſignavit, cum ait: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis* (*b*). Quis namque his privilegiis ipſum Davidem donatum putaverit, cum nec in Cælum ille unquam aſcenderit, nec carnem illius a corruptione immunem fuiſſe, ſepulcrum ejus, noſtra adhuc ætate ſuperſtes, teſtimonium ferat luculentiſſimum? Rem narro præſentem, quam nos omnes noſtris oculis vidimus, Jeſum ſcilicet a mortuis reſurrexiſſe. Redivivus igitur Jeſus, & in Cælo ad Dei dextram elevatus, impetratum a Patre, juxta datam ab illo fidem (*c*), Spiritum ſanctum effudit, cujus rei argumentum eſt varium linguarum donum, quo rudes hactenus indoctoſque homines, inſtructos videtis, ſentitiſque. Ex quibus Judæorum gens, Jeſum a ſe crucifixum, Meſſiam eſſe, a Deo *Dominum & Chriſtum* conſtitutum, clare cognoſcere poteſt. Terror ad hæc verba & dolor audientium turbas tenuit; quare factus ad pedes Apoſtolorum concurſus quærentium, quid facto opus eſſet? Præſcripſit autem Petrus, ut pœnitentiam agerent, ſimulque Chriſti Baptiſmum ſuſciperent, quo & veniam criminis, Chri-

(*a*) Pſal. xv. 10. Act. II. 27.

(*b*) Pſalm. CIX. 1.

(*c*) Joan. XIV. 16.

Chriſto in crucem ſublato, commiſſi obtinerent, & Spiritus ſancti dona acciperent. Monuit etiam promiſſiones ſalutis, per Meſſiam afferendæ, omnibus quidem late hominibus factas eſſe; ita tamen ut Judæis primum, deinde Gentibus, antea domeſticis, tum exteris, faverent. Aliis ſubinde aliiſque monitis audientes hortabatur, ut ſubducerent ſe e cœtu Judæorum incredulorum & pervicacium, qui Apoſtolorum ſermones perinde ac ſtulta ebriorum deliria aſpernabantur. His compuncti ad tria circiter millia eadem die Fidem ſuſcepere, qui omnes Apoſtolorum manibus baptizati ſunt.

VII. Fert multorum ſententia, eadem die Judæos illos & Fidem ſuſcepiſſe, & Baptiſmo tinctos fuiſſe; & cum trium millium multitudo major videatur, quam ut eo temporis ſpatio conſueto baptizandi more res præſtari poſſet, cenſent, aſperſione tantummodo, ramo ſcilicet arboris, ſive alio ſimili inſtrumento aqua tincto, baptizatos fuiſſe (*a*). Verum aliis oppoſita ſententia placet, quæ docet, univerſam illam multitudinem toto corpore aqua merſam fuiſſe, cum verbum *baptizare* apud Hebræos, Syroſque, ac ceteros Orientales aliam non ingerat ideam. Ad hæc, Chriſtum immerſione baptizatum fuiſſe, innuunt illa Matthæi verba: *Baptizatus Jeſus aſcendit de aqua* (*b*). Nil vero probabilius, quam ad illius ſimilitudinem tinctos primitivæ Eccleſiæ Fideles. *Immerſione primi Fideles baptizabantur.*

(*a*) S. Thom. 3. p. q. 66. ar. 7.

(*b*) Matth. III. 16.

les. Ingens autem hominum multitudo cito baptizatur, ſi plures eidem ſimul rei operam navent; nec operoſius aliquid requiritur, quam ut ſemel, vel ter, (ſi trinam ablutionem, ob trium divinarum Perſonarum honorem, aut in memoriam trium dierum ſepulturæ Chriſti (*a*), tunc adhibitam putes) mergantur aqua homines, amne, lacu, vel alio aquarum receptaculo ad collum uſque jam merſi, & continuato ordine alter poſt alterum ſe ſe offerant manibus illius, qui ſacra operatur, & formam pronuntiat. Ut res ageretur, facile ad Jordanem acceſſere; nam converſio trium millium ſtatim quidem accidit; ſed reliqua, accuratior ſcilicet inſtructio, experimentum de converſionis ſinceritate, & Baptiſmus, ad aliud tempus dilata crederentur (*b*). Indulgendum autem eſt pictoribus, ſi propria uſi libertates, Joannem Baptiſtam exhibeant aquam ſupra caput Chriſti fundentem manu, aut concha. Ceterum quamvis ritus baptizandi per infuſionem, aut aſperſionem ab exordio non obtinuerit, eo tamen interdum uſi ſunt & antiqui Chriſtiani, maxime cum infirmis (*c*). Moderni pariter Græci, & Orientales immerſionem quidem adhibent, ſed Baptiſmum aliter collatum, ſi paucos excipias, validum agnoſcunt (*d*).

VIII.

(*a*) Berti l. 31. c. 6.
(*b*) Calm. in Act. 11. 41.
(*c*) Berti ſupra.
(*d*) Renaudot. t. 5. Perpetuite de la Foi l. 2. c. 4.

VIII. In ſolemni Evangelii promulgatione, quam hic deſcripſimus, ad prodigia olim exhibita Deum reſpexiſſe, ne dubitandum quidem. Quemadmodum enim olim in monte Sinai tonitrua, fulgura, nubes opaca, & mons fumans Numinis, Legem ferentis, Majeſtatem indicabant; ita fragor & venti procella Spiritus ſancti præſentiam illapſumque in Apoſtolos, quo ad Evangelii intelligentiam prædicationemque aptarentur, expreſſit. Poſt 50. dies ab Iſraelitarum libertate, egreſſuque ex Ægypto, atque Agno immolato, Lex lata fuit; poſt 50. pariter dies ab hominum e ſervitute Dæmonis manumiſſione, per Chriſti mortem, Evangelium cœpit promulgari. Ad hæc, Babelica illa Linguarum confuſio diſperſionem hominum per univerſum Mundum peperit. Similiter die Pentecoſtes factum eſt ut Apoſtoli vario linguarum genere loquentes, ad Evangelium prædicandum per omnes terrarum Orbis gentes ſeſe diffunderent.

*Pentecoſtes figuræ.*

IX. Ad varias linguas quod ſpectat, nonnullis incidit dubium, num B. Maria, aliæque piæ mulieres donum illud acceperint. Nos tamen in ſententiam affirmantem concedimus, quia teſte S. Luca Spiritus ſanctus ſpecie igneæ linguæ *ſedit ſuper ſingulos eorum*, qui erant in cœnaculo; in quo ſane & B. Mariam, & alias pias feminas fuiſſe, certum eſt. Vero etiam propius eſt, B. Mariam, cum ſuſcepta jam a Gentibus Fide, multi ad eam inviſendam confluerent, illos privatis colloquiis de variis Myſteriis propria cujuſque lin-

*B. Virgo linguarum donum habuit.*

gua inſtruxiſſe; ut non tantum donum, ſed etiam uſum linguarum habuerit.

*Variæ de Apoſtolorum linguis ſententiæ.*

X. S. Joannes Chryſoſtomus docere videtur, totum quidem Apoſtolorum Collegium omnium Gentium linguas calluiſſe; non vero illorum ſingulos, ſed alios alias, prout Regiones, ad quas mittendi erant, exigerent; illud autem fuiſſe indicium quo demonſtrabatur, ad quam præcipue quiſque mittendus eſſet, ad illam ſcilicet, cujus lingua cælitus edoctus fuiſſet (*a*). S. Gregorius Nazianzenus ambigit, num Apoſtoli reapſe plures loquerentur linguas, an in eo tota prodigii ratio ſtaret, quod cum in cœtu plurium diverſarum gentium verba illis facienda eſſent, perciperentur ab omnibus, licet uno eodemque, ſcilicet vernaculo, loquerentur ſermone (*b*). Verum idem S. Doctor in priorem dubii partem inclinat, quod alioquin prodigium non fuiſſet in Apoſtolorum linguis, ſed in audientium auribus. S. Auguſtinus, quem fere omnes ſequuntur, cenſuit, omnium, quotquot ſunt, linguarum ſcientiam Apoſtolis inditam fuiſſe, quamquam forte non ſemper, nec omnium ſimul, aut in omni rerum eventu (*c*). Hinc neceſſitas Apoſtolis interdum adhibendi Interpretem; quo in munere operam Petro navaſſe Marcum, apud Antiquos invenias. Linguarum donum ad alios ex Fidelibus tranſiſſe, certum eſt, tantumque in ipſis Eccleſiæ crepundiis invaluit, ut data ad

Co-

(*a*) Chryſoſt. t. 5. or. 40.

(*b*) Nazianz. or. 44.

(*c*) Auguſt. in Pſalm. XVII. expoſ. 2.

Corinthios epiſtola multus fuerit Paulus in dirigendo illius uſu, & vitiis, quæ irreperant, removendis (*a*). Perſeveravit id pariter in Eccleſia ſat diu, quoaduſque ſcilicet neceſſarium Deus arbitratus eſt, qua convertendis ad Fidem Paganis, qua Fidelibus confirmandis. Nondum ceſſaverat ætate S. Irenæi, ut ipſemet teſtatur (*b*). Quin nec quo tempore ſcribebat Euſebius (*c*). Innovatum autem fertur poſtremis temporibus in SS. Vincentio Ferrerio, & Franciſco Xaverio, qui patria lingua locuti a diſſonis gentibus intelligebantur.

*Prioris Eccleſiæ mores. Petrus & Joannes claudum ſanant. Quinque virorum millia convertuntur. Judæorum in Apoſtolos molitiones.*

## CAP. II.

ANNO CHRISTI 33.

*Priorum Chriſtianorum mores.*

I. PRimi illi Fideles aſſidui erant in excipienda ab Apoſtolorum ore doctrina. Perſeverabant etiam *in communione fractionis panis* (*d*), hoc eſt, Menſam euchariſticam frequentabant, ut eſt communis Interpretum ſententia. Nonnullis tamen viſum eſt, dicta hæc de cibis in commune commodum expoſitis explicare (*e*). Uno erant animo, una mente. Omnia illi in medio poſita habebant & communia, præter uxores. Meum & tuum, fri-

(*a*) 1. Cor. IV. 7. XII. XLVI. 10. 28. 30. & XIV. 2.

(*b*) Iren. l. 5. c. 6.

(*c*) Euſeb. in Pſalm.

(*d*) Act. II. 42.

(*e*) Grot.

frigidum illud & fatale verbum, unde tot adverſa & bella in Mundum, ab illis exulabat. Nemo inter illos egenus, nemo dives. Templum frequentabant, cumque e Templo redirent, frugale quidem, ſed commune convivium celebrabant, ob memoriam illius cœnæ in qua Chriſtus Euchariſtiam inſtituit. *Agapen*, menſam ſcilicet caritatis, appellabant, quam ſacræ conciones, preceſque comitabantur. Poſt illam cœnam, Corpus, & Sanguinem Domini participabant, & oſculo pacis invicem dato diſcedebant (*a*). Vita illorum ſimplex, modeſta, nemini oneroſa, morum autem ſanctimonia ſpectanda, omnium in ſe amorem oculoſque pertrahebat, novaque in dies populorum acceſſione Eccleſiam ſuam Deus augebat.

*Petrus & Joannes claudum ſanant.*

II. Petrus interea & Joannes aſcendentes in Templum, ut penſum redderent veſpertinæ precationis, ad horam diei nonam, virum 40. annorum natum pedibus e nativitate impeditum nacti ſunt, qui ante Templi januam, quæ *Specioſa* (*b*) dicebatur, ſtipem ab introeuntibus quærebat; quare ambos Apoſtolos pro more eadem rogavit. Intimo quodam Spiritus ſancti impulſu ferri ſe ad ſanitatem illi conferendam ſentientes, juſſerunt ut in faciem ſuam aſpiceret. Paruit ille obtinendæ eleemoſynæ ſpe. Ad quem Petrus: Nil quidem pecuniarum mihi eſt, quod tribuam; verum auri argentique loco ſanitatem in nomine Jeſu

(*a*) Calm. dict. v. *Agapes*. Act. 4. 32.

(*b*) Act. III. 2. Vide hanc Hiſt.

Jeſu Chriſti Nazareni tibi elargior. Juſſus proinde ſtare, ſtatim expeditus ſurrexit; cumque in Templum præcurriſſet, elata voce tantum Dei beneficium prædicabat; atque Apoſtolos manibus tenens, liberatores ſuos populis, qui illum optime norant, ad rei novitatem in Porticum Salomonis confluentibus, oſtendebat.

III. Petrus ea accepta occaſione, Jeſu Chriſti virtutem, cui uni, non vero ſibi, aut ſocio, recepta a viro ſanitas referenda eſſet, etiam atque etiam commendavit. Deus Abraham, inquit, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus Patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum, quem vos ſanę ſupplicio puniendum Pilato tradidiſtis; quin & conantem illum libere dimittere, coegiſtis ut damnaret; cumque optionem vobis ille feciſſet, Barabbam homicidam Jeſu innocentiſſimo, vitæque auctori prætuliſtis. Sancte autem teſtamur, illum a mortuis reſurrexiſſe, exploratum nos habere, ingentique hoc prodigio, nomine & virtute ipſius edito, confirmamus. Probe tamen intelligo, illum vos, veſtroſque Principes, ignorantes imprudenteſque ad necem popoſciſſe. Quin & Deus id permittendum cenſuit, quod uno ore Prophetæ omnes Meſſiæ Paſſionem prædixerint. Jam tandem ergo reſipiſcite, criminiſque immanitatem ſincera pœnitentia expiate; quod niſi præſtiteritis, nulla ſalutis ſpes ſupereſt. Poſtremis enim temporibus Jeſus, qui poſt protractam in Terris vitam, nunc in Cælo regnat, ſpectandum ſe iterum præbebit, cum ad judicandum Mundum venerit, præmia pœnaſ-

*Petro iterum prædicante quinque hominum millia convertuntur.*

naſque pro ſingulorum meritis daturus; quando & ab illo omnia reformabuntur, debitumque ſervitutis ſuæ obſequium Majeſtati & Potentiæ ipſius omnes per Orbem gentes præſtabunt. Huc autem Prophetæ a primo ad noviſſimum ſpectant omnes, maxime autem Moyſes, ubi ait: *Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter de fratribus veſtris tamquam me; ipſum audietis. Omnis anima quæ non audierit illum, exterminabitur de plebe ſua* (*a*). Cum vero vos ex Prophetis originem ducatis, eorumque oracula tenere & credere gloriemini, voſque potiſſimum tangat Fœdus cum Abrahamo a Deo initum de offerenda per Meſſiam omnibus Gentibus ſalute & felicitate: *In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ Terræ* (*b*): pronum quidem fuit ut Deus ad vos omnium primum Filium ſuum mitteret, quo illius præſentia, prædicatione, & miraculis dignati tanto beneficio, ad meliorem frugem converſi, reſponderetis. Adhuc Petro ad populum loquente, Sacerdotes, & Templi Magiſtratus, ſive ii fuerint Levitarum præfecti, ſive Romanæ cohortis duces, una cum Sadducæis ſupervenientes, omnes quidem, ſed maxime Sadducæi, ægre tulere, quod Apoſtoli ſermonem de Chriſto ad vitam revocato haberent, quo eorum dogmata ſubvertebantur. Quare ambos Apoſtolos in carcerem deduxerunt; cumque veſpera jam proceſſiſſet, ad alteram diem cauſa dilata eſt. Ea occaſione uſque

(*a*) Deut. XVIII. 15. 14. n. 6. Vide hanc Hiſt. l. 4. c. (*b*) Gen. XII. 3.

que ad 5000. virorum ad Chriſtianorum Sacra tranſierunt. Itaque brevi paucorum dierum, & forte unius Pentecoſtes diei ſpatio, Eccleſiæ facta eſt octo millium hominum acceſſio.

IV. Mane alterius diei Patres Synhedrini convenerunt, ut cauſam Apoſtolorum cognoſcerent. Eminebant autem inter illos *Annas* Princeps Sacerdotum, *Caiphas* ſummus Sacerdos, *Joannes* ipſius Annani facile filius, alio nomine Jonathas, qui poſt Caipham rebus ſacris præfuit (*a*), & *Alexander*, forte Alexander Lyſimachus, qui & Alabarcha, ſive Salinarum Alexandriæ Curator, appellatus eſt (*b*). Cum Petrum & Joannem coram habuiſſent, interrogarunt, cujus nomine & virtute claudum illum ſanitate donaſſent? Quibus Petrus Spiritu ſancto plenus ſtatim reſpondit, prodigium illud ad nomen & virtutem Jeſu Chriſti referendum eſſe; illius nempe viri, quem ipſi quidem ad Crucis ſupplicium damnarunt, ſed Deus ad vitam revocaverat; quemque, ceu viliſſimum lapidem ab eis rejectum, Deus in vertice & in angulo ædificii conſtituerat, ut ſcilicet reſurgens a mortuis efficeretur novæ Eccleſiæ Caput, & Princeps; in quo uno ſupereſſet ad ſalutem ſpes, & ſine quo omnes quotquot fuerunt, vel erunt, certum maneret exitium. Gravem adeo ſermonem, libertatemque, & conſtantiam in Petro, ejuſque ſocio Joanne, viris alioquin plane rudibus, atque e populi fæce, ſtupentes Patres, convictique præſen-

*Petrus & Joannes Concilio parere recuſant.*



(*a*) Joſeph. de Bello l. 2. c. 25.

(*b*) Antiq. l. 18. c. 8. & l. 19. c. 4. & l. 20. c. 3.

ſentia claudi ſanati, & rei evidentia, quam negare non poterant, ſubduci illos juſſerunt, revocantes interim in conſultationem, quid facto opus eſſet, ut incrementum novæ Religionis, qua veteris abolitio inducebatur, impedirent. Viſum eſt tandem ſilentium loquentibus de Jeſu Chriſto indicere. Quare illis revocatis hanc deliberationem ſignificarunt; quibus ambo Apoſtoli adeo non acquieſcere profeſſi ſunt, ut dicerent, a Deo loqui juſſos, ne hominibus parerent, effecturos. Remittendos nihilominus Senatus cenſuit, invidiam populi, qui in Apoſtolos, tanto prodigio claros, inclinabat, declinaturus, grandia tamen minitatus, ni paruiſſent (*a*).

*Novo Spiritus ſancti ardore Apoſtoli animantur.*

V. Ad ſuos igitur Apoſtoli reducti, omnium, quæ ſibi contigiſſent, hiſtoriam recitarunt. Quibus auditis, Fideles omnes in mentem revocarunt, quæ quondam David vaticinatus fuerat: *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus* (*b*): eaque præſentis temporis circumſtantias ſpectare dixerunt, quando ſcilicet Herodes & Pilatus cum univerſo Synhedrio, & pleriſque e populo Jeſum, ejuſque naſcentem Eccleſiam inſectabantur. Commendata deinde Dei ſapientia, quippe quæ adverſariorum molimine ſuis implendis conſiliis de hominum Redemptione utebatur, in preces effuſi: Ingere nobis, Domine, dixerunt, animi firmitatem ad minas contemnendas,

(*a*) Act. IV. 5. (*b*) Act. IV. 23.

das, ac virtutem confer patrandi prodigia, ut probro obruantur hoſtes, & nobis via planior ſtruatur incepto itineri libere & ſine timore veritates tuas nuntiandi. Quas ſimul preces abſolventibus illis, ſtatim ingenti tremore locus concuſſus eſt, novoque Spiritus ſancti ardore Apoſtoli omnes animati.

*Barnabas prædium vendit. Mendacium Ananiæ & Saphiræ morte punitur. Apoſtolorum apud Tribunalia vices. Septem Diaconorum electio. Variæ de Nicolao ſententiæ. S. Stephani Martyrium.*

## CAP. III.

I. QUamvis omnibus libera eſſet facultas retinendi ſibi res ſuas, atque adhibendi in uſus a Religione non prohibitos, hac tamen libertate qui uterentur, inter primos illos Fideles rari erant (*a*). Patrimonia enim ſua fere omnes vendebant, pretiumque ante Apoſtolorum pedes deferebant, ut ex eo veluti Patres familiæ omnibus providerent. A vero facile non abludunt, qui putant, bonorum abdicationem primis illis Fidelibus perſuaſiſſe, quod revelatione didiciſſent futurum, ut Judæa brevi manibus hoſtium traderetur; ipſi vero cogerentur ad fugam, ut ſe a vexationibus cum domeſticorum, tum exterorum præriperent (*b*). Exemplum virorum ſanctiſſimorum, &

ANNO CHRISTI 33. *Barnabas ceterorum more prædio ſe abdicat.*



(*a*) Act. IV. 33. & V. 4. lat. 11. lect.
(*b*) S. Thom. ad Ga-

& ſtudio evangelicæ paupertatis flagrantium propoſuit ſibi Joſeph, Barnabas, vel ut Codices quidam habent, Barſabas appellatus; qui agrum vendidit, & pretium de more ad Apoſtolos integrum detulit (*a*).

*Ananias, & Saphira morte plectuntur.* II. Pari fidelitate minime ſe geſſit Ananias, qui una cum Saphira uxore ſua Chriſtianorum ſacris initiatus fuerat. Bonis enim ſuis venditis, partem pretii clam ſibi retinuit, partem vero Sancto Petro obtulit, totum ſe detuliſſe ſimulans, de omnibus uxore ſua conſcia. Apoſtolus fraude divinitus intellecta, ad illum converſus: Adeone, ait, apud te valuit Dæmonis ſuggeſtio, ut ad mentiendum Spiritui ſancto, quo me afflatum noſti, parte pretii divenditi agri tibi retenta, induceteris? Nemo ſane te coegit ſeu vendere, ſeu venditionis pretium huc ferre. Quæ ergo ratio tibi nos fallendi, affectandique totius pretii oblationem? Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Vix ea dixerat, cum Ananias, improviſa morte correptus, actutum corruit. Elato defuncti cadavere, & ſepulturæ mandato, cum poſt tres circiter horas ſuperveniſſet Saphira, interrogata ab Apoſtolo, an vir ejus totum obtuliſſet pretium, ſimili mendacio veritatem occuluit. Ad quam Petrus: Tune quoque explorare vis, num re ipſa omnia Deo comperta ſint? Qui virum tuum ſepelierunt, ad oſtium ſunt te pariter elaturi. Quibus dictis, femina ad pedes Apoſtoli concidens expiravit. Ingens autem ea de re terror non Eccleſiam tantum, ſed & eos

(*a*) Act. IV. 36.

eos omnes, ad quos rumor delatus eſt, invaſit (*a*). Duo hic merito quærerentur, in quo ſcilicet potiſſimum ambo conjuges erraverint, & an pœnam mortis pœna damnationis comitata ſit? Ad primum quod ſpectat, Veterum complures autumarunt, illud diſtrahendorum bonorum conſilium tacitam voti obligationem involviſſe, nihil apud ſe retinendi, ob cujus voti tranſgreſſionem Ananias & Saphira morte puniti fuerint (*b*). Nec tamen continuo æterno ſupplicio damnatos illos credere oportet; fieri enim potuit, ut Deus intimum illis animi dolorem conceſſerit, & in pœnam mortis æternæ damnationis pœnam commutaverit; quod quidem ſuſpicati ſunt Origenes, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, & nonnulli ex Recentioribus. Verum contraria opinio S. Joanni Chryſoſtomo, S. Baſilio, aliiſque potior viſa eſt, quod nullum pœnitentiæ indicium in illis deprehendatur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

III. Fulgor interim virtutis & miraculorum, ac vis illa Spiritus ſancti, quæ ſe Apoſtolorum ore promebat, adverſarios omnes Evangelii adeo perculit, ut nullus eorum ſe jungere illis, aut cum illis diſputare auderet. Populus vero Apoſtolorum ſermonibus captus nemini præterquam illis aures accommodabat. In Porticu autem Salomonis frequentius viſebantur, facile quod pars illa Templi Atrio Gentium, cujus aditus indiſcriminatim omnibus Judæis & Gentilibus, mundis immundiſque

*E carcere Apoſtoli cælitus liberantur.*

B 3

(*a*) Act. v. 1.

(*b*) Hieron. Baſil. Chryſoſt. Cyprian. Auguſt. Gregor. Sanct. Corn. Tir. Grot.

que patebat, reſponderet. Porro Eccleſia in dies augebatur, ad eam rem non parum conferentibus Petri prodigiis, cujus vel ipſa umbra ſi ægrotos contigiſſet, ſtatim valetudine donabat. Hinc infirmi paſſim in plateis, qua Petro tranſeundum erat, ſuis lectulis impoſiti exponebantur. Concitata proinde in Apoſtolos ſummi Sacerdotis Caiphæ, & Sadducæorum ipſi adhærentium invidia, omnes eorum juſſu in carcerem detruſi ſunt. Inſequente tamen nocte, Angelo fores aperiente, taciteque deinde claudente, educti, juſſique palam in Templo prædicare, in eo, ſummo alterius diei mane apparuerunt. Interim ſummus Sacerdos Concilium, ſive Synhedrium convocat, cogniturum de Apoſtolorum cauſa, quos carcere detineri adhuc rebatur. Sed milites miſſi ad deducendos reos narraverunt, ſe recluſis carceris foribus minime illos deprehendiſse, cuſtodes vero, qui diligenter excubias egere, quomodo illi egreſſi ſint, penitus ignorare. Dum Patres ſtuperent, ambigerentque, magicis ne artibus Apoſtoli, an vero prodigio, an corruptis cuſtodibus, ſive illata vi foribus in libertatem ſe ſe aſſeruiſſent, ſuperveniens quidam, illos in Templo prædicare, narravit. Quibus auditis per ablegatos hortati ſunt Apoſtolos, ut ſponte ſe ſe Concilio ſiſterent. Si enim apparitores vi eos trahere tentaſſent, forte a populo lapidibus impetiti fuiſſent. Accitis igitur Princeps Sacerdotum: Nonne, ait, diſtricte præcepimus, ut ne hiſcere quidem de nomine Jeſu auderetis? Vos tamen totam late Hieroſoly-

ſolymorum urbem veſtris dogmatibus replere, & injuſtitiæ ob illatam viro illi necem nos accuſare non ceſſatis. Ad quæ Petrus, ſociique: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus; qui Jeſum, a vobis in Crucem actum, e mortuis ſuſcitavit, ac Principem & Salvatorem conſtituit, ut Iſraelitæ per pœnitentiam commiſſi criminis veniam conſequi poſſint. Nihil autem a nobis aſſeritur, quod certiſſima ſcientia compertum non habeamus, quodve Spiritus ſanctus, ſe ſe in nobis ceteriſque credentibus prodens ex linguarum dono, editiſque prodigiis, non confirmet.

*Gamaliel Judicum furorem coercet. Theodæ & Judæ hiſtoriæ.*

IV. Tanto furore tunc ſummus Sacerdos, & Senatores illi exarſerunt, ut de nece illis inferenda deliberarent. Inclinantes autem in extrema animos Gamaliel ad ſaniora conſilia revocavit, oſtendens, opus illud ſive a Deo eſſe, & nullis hominum conatibus deſtruendum; ſive ab alio quopiam, & ipſum per ſe ſe mox fore diſſolvendum (*a*). Quod quidem conſilium, ſi ceu quoddam generale præceptum acciperetur, non omnibus probaretur. Ex eo enim inferre quis poſſet, Magiſtratibus non eſſe jus impios coercendi, puniendique (*b*). Ea autem occaſione Gamaliel Theodæ, & Judæ Galilæi hiſtorias narravit. Prodiit, inquit, olim Theodas, qui ingentia de ſe jactitans, 400. fere homines in ſuam ſequelam adduxit; eo vero occiſo, omnes diſſipati ſunt, ejuſque ſecta evanuit. Hæc de Theoda Gamaliel,

B 4 quem

(*a*) Act. v. 34. Cornel. a Lap. Calm.
(*b*) Eſti. Fromond.

quem nonnulli confundendum cenſent cum Theoda, qui Præſide Cuſpio Fado in Judæa apparuit. Hic, cum ſe Prophetam jactaret, Judæorum quamplures perſuaſit, ut facultatibus omnibus derelictis, ſecum ad Jordanem comites accederent, ſicco pede, ut quondam Joſue, trans amnem illos deducturus. Verum turmis quibuſdam equitum in illos a Fado immiſſis, partim occiſi, partim capti, omnes diſperſi; ac Theodæ caput Hieroſolymam allatum eſt. Verum hæc aptari nequeunt Theodæ, de quo Gamaliel, cum ex Joſepho contigerint duodecim poſt annis, ſcilicet ſub Claudio Imperatore circa annum Æræ Chriſtianæ 45. (*a*). Quare gemini Theodæ diſtinguendi ſunt. Niſi dicere mavis, Joſephum erraſſe in recenſenda ſerius, quam par eſſet, Theodæ hiſtoria (*b*). De altero ſeductore hæc Gamaliel expoſuit. Judas Galilæus poſt Theodam, dum cenſus inſtitueretur, ſe manifeſtavit; cumque populum ſubvertiſſet, periit ipſe, aſſeclæ vero illius diſperſi ſunt omnes (*c*). Judas iſte Gaulanites a Joſepho appellatur (*d*), quod ortus eſſet ex oppido Gamala in Gaulanitide, quæ Galilææ regio eſt. Hic Judæos liberos eſſe, & ab eis neminem Dominum præter Deum habendum oſtentans, Cyrenio Judææ cenſum, ſive deſcriptionem aggreſſo (*e*) impavide obſtitit. Facile Judas hoc tempore adhuc vivebat;

(*a*) Antiq. l. 20. c. 2. & 2.
(*b*) Baron. Fromon.
(*c*) Act. v. 37.
(*d*) Antiq l. 18. c. 1.
(*e*) Vide hanc Hiſtor. l. 11. c. 1. n. 7.

bat; certum ſaltem eſt, ipſius ſectatores, quos Sicarios & Zelotas appellarunt, diu ſubſtitiſſe, ac tandem extremum Hieroſolymæ, totique Judææ excidium intuliſſe. Verum cum ſeditionis ignis a Juda excitatus, hoc temporis ſpatio, quando ſcilicet Pilatus Provinciam adminiſtrabat, ſub cineribus quietis, ut ita dicam, lateret, propterea Gamaliel Judam una cum iis omnibus, qui ei adhæſerant, periiſse aſſeruit. Ceterum nonnulli dicunt, Gamalieli per errorem excidiſse ea, quæ hiſtoriæ veritati minus congruere inveniuntur, cum nec Scriptor ſacer ſit, nec a Scriptore ſacro, ceu Spiritu divino afflatus, inducatur.

V. Porro Camaliel, ſecta Phariſæus, Præceptor fuit S. Pauli (*a*), nec non, ſi quoſdam audias, S. Barnabæ & S. Stephani. Apud Scriptores Hebræos memoratur Gamaliel quidam, qui his temporibus florebat, eique patrem dant Simeonem, & avum Hillelem, virum illum celeberrimum. Simon iſte ex quorumdam opinione oblatum in Templo Jeſum ulnis excepit. Gamaliel genuit Simeonem, Simeon Gamalielem, quem primum Judæorum Patriarcham fuiſse, quidam autumant. Sed his omiſſis, poſt S. Stephani necem, Chriſtiani, Gamaliele auctore, noctu illius corpus ſurreptum ſepulcro mandarunt; quam in rem ille currum fundumque ſuum exhibuit (*b*). Ferunt, Nicodemum nepotis, aut conſobrini neceſſitudine Gamalielem ſpectaſse, ejuſque gratia factum

*Gamalielis acta.*

(*a*) Act. XXII. 3. S. Steph. c. 5.
(*b*) Lucian. de revel.

ctum eſse, ut pœna mortis, in Nicodemum a Judæis ob ſuſceptum Chriſti baptiſmum decreta, exilio commutaretur (*a*). Porro Gamalielem Fidei nomen dediſse, certum eſt, incertum autem cujus opera, & quo potiſſimum tempore. Forte jam tum Chriſtianus erat, cum pro Apoſtolis peroravit; at occultata de Apoſtolorum conſilio Religione, perſeverabat in Synhedrio, ut Eccleſiæ commodis melius inſerviret (*b*). Filios habuit geminos, Abibam, in Fidei profeſſione ſocium, & Sedemiam, qui patris Religionem averſatus eſt. Gamaliel, & Abiba cum diem clauſiſſent, communi cum S. Stephano ſepulcro conditi fuerunt (*c*).

*Apoſtoli cæſi exultant.* VI. Ad Apoſtolos nunc redeundum. Patres Synhedrini Gamalielis dictis perſuaſi, a morte quidem Apoſtolorum abſtinuerunt, minime vero ab illis flagris cædendis, uti Chriſtus non ſemel prædixerat (*d*); iterumque eis præceperunt, ne umquam de Jeſu Chriſto prædicarent. At illi tanta pro Magiſtri nomine paſſi exultabant, ſeque magno honore affectos cenſebant, atque in Templo, domique Evangelio annuntiando jugiter incumbebant, adeo ut & ingens Sacerdotum numerus Fidem amplecteretur (*e*).

*Græcorum murmur.* VII. Dum injuriis & vexationibus externis augebatur Eccleſia, internis ſeditionibus turbari

ri

(*a*) Phot. cod. 171.
(*b*) Recognit., lib. c. XXIII. 44. 65. & 66.
(*c*) Lucian. ibid.
(*d*) Matth. x. 17.
(*e*) Act. v. 40. & VI. 7.

ri cœpit. Ingens illa hominum multitudo, qui ſimul unius vitæ ſanctioris communione convenerant, diſſidiorum ſcintillam inter Græcos Hebræoſque ad Fidem cenverſos admiſit. Græci hic, ex nonnullis (*a*), deſignant Ethnicos, qui Judæis prius, deinde Chriſtianis acceſſerant. Verum juxta aliorum, & quidem probabiliorem ſententiam, referunt Hebræos qui græce loquebantur (*b*). Pauci enim tunc ex Proſelytis Ethnicis ad Chriſtianorum ſacra tranſierant, excitandoque tanto murmuri impares erant. Querebantur igitur Græci illi, quod *eorum viduæ in miniſterio quotidiano deſpicerentur*; hoc eſt, quod viliſſima quæque & incommoda illis demandarentur; ſive quod rariſſime illarum opera aſſumeretur; vel tandem quod in diſtributione rerum ad vitam neceſſariarum, his neglectis, Hebræorum viduæ præponerentur.

*Septem Diaconorum electio.*

VII. Haſce igitur querelas Apoſtoli compeſcere volentes, in cœtu Fidelium ſeptem virorum probati nominis, prudentiæ, & religionis, electionem propoſuerunt, quibus rerum temporalium, adminiſtrandæque Euchariſtiæ cura demandaretur. Neque enim fas, dixerunt, ut nos omiſſo prædicationis munere, *menſæ miniſtremus*. Non me fugit, nonnullos cenſere, ſeptem illos Diaconos miniſteriis menſæ tantummodo prophanæ fuiſſe deſtinatos, adeoque longe diverſos eſſe a Diaconis, Altaris

(*a*) Act. VI. 1. Salmaſ. Druſ. Grot. Ligſ. Tirin. Camer. Bez. Zeger. Cornel. Sanct. Calm.
(*b*) Vatabl. Eraſm.

ris ſervitio addictis (*a*); ſed ſententia huic oppoſita ſola ferme obtinet in Eccleſia, fulciturque Interpretum & Patrum communi ſatis ſuffragio. Et quidem prioribus Eccleſiæ ſæculis poſt refectum cibo corpus, & poſt agapes illas, de quibus alibi egimus (*b*), ſuccedebat plerumque Euchariſtia. Itaque Diaconi, qui primas illas menſas curantes, dapes inter convivas diſtribuebant, miniſtrabant illis & Corpus Chriſti, quod de Sacerdotum manibus exceperant. In hanc rem ſelecti a multitudine Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus, conſtitutique ante Apoſtolos, ab illis manuum impoſitione, & orationibus initiati fuerunt. Nomina hæc pura putaque Græca ſunt; unde colligas, delectos illos fuiſſe ex illorum cœtu, quorum viduæ negligi videbantur. De S. Stephano mox pluribus agendum eſt; nonnulla etiam de Philippo infra proferemus. Ceteri Diaconi parum noti ſunt, præter Nicolaum, de quo veteres hæc tradidere.

*Variæ de Nicolao ſententiæ.*

VIII. Nicolaus, teſte S. Luca, advena erat Antiochenus, origine proinde Ethnicus, ſed Judæis primum, poſtea vero Chriſtanis aggregatus. Nupſerat hic venuſtiſſimæ uxori, a qua ſanctiſſimorum virorum caſtimoniam imitatus, ultro receſſit. In incepto autem minime perſeverans, iterum uxori adhæſit; utque de inconſtantia ſe purgaret, omnibuſque ſe eriperet objurgationibus, quædam pudicitiæ verita-

ti-

(*a*) Hieron. Chryſoſt. Bed. Cajetan.

(*b*) Vide hanc Hiſtor. l. 15. c. 2. n. 1. & c. 10. n. 16.

tique contraria evulgavit. Denique in errores ita ſe præcipitem egit, ut initium fecerit Sectis Nicolaitarum, Gnoſticorum, aliorumque, qui cupiditatibus indulgentes, innumeris ſe flagitiis inficiebant. Hæc de Nicolao S. Epiphanius, quem Veteres multi, pluresque ex Recentioribus ſequuntur (*a*). Verum S. Clemens, S. Epiphanio antiquior, cui pariter non rari adhærent, ipſum Nicolaum plurimi facit, & rem aliter narrat (*b*). Cum ab Apoſtolis, inquit, ei exprobrata fuiſſet uxoris ſuæ zelotypia, in omnium conſpectum feminam produxit, poteſtatemque fecit, ut cui vellet, nuberet. Incaute quidem hoc ille egit; nil tamen aliud innuere intendit, quam experimento oſtendere, ſe uxorem minime deperire, ſed tantum modeſte diligere. At improbi illi, quos juvabat tanti nominis patrocinium, inde cauſam prætexuere, ut ad crimen quodlibet diffluerent. Hi hæretici, addit idem Clemens, innitebantur etiam illis Nicolai verbis: *Oportet carne uti*: quibus vir apoſtolicus innuebat, concupiſcentiæ motus eſſe coercendos; ſed voluptatis ſectatores eo illa petrahebant, quaſi ſalaciſſima quæque permiſerit. Quidam apud Caſſianum docebant, Nicolaum Nicolaitarum auctorem alium eſſe a Nicolao de quo loquimur (*c*). Nitebantur facile Conſtitutionum Apoſtolicarum Scriptore, a quo fertur, commen-

(*a*) Epiph. hær. 25. Theodoret. Auguſt. Tertull. Hippolyt. Hilar. Hieron. Gregor.

(*b*) Strom. l. 3. Euſeb.

(*c*) Caſſian. Collat. 18. c. 16.

mentitium eſſe, quod Nicolaitæ Nicolai Diaconi diſcipulos ſe oſtentarent (*a*). Hæc ad labem omnem a viro depellendam. An autem aſſenſum extorqueant, dubitamus. Bis enim in Apocalypſi Nicolaitarum mores & doctrina improbantur (*b*); nihilque ibi affertur, quod Nicolaum purget; noſque nullam Eccleſiam novimus, quæ eidem cultum aliquem exhibuerit; quod ſane ipſi plurimum adverſatur.

*S. Stephani allocutio.*

IX. Perſuaſum multis eſt, S. Stephanum ex neceſſariis S. Pauli fuiſſe, amboſque ſimul Gamalielem docentem audiviſſe. Ad hæc, inter 70. Diſcipulos hunc S. Epiphanius recenſet (*c*); incertum tamen qua fide, cum 70. illi a Jeſu Chriſti prædicationis munus ſuſceperint; Stephanus vero ejuſque ſocii, cum primum curandis menſis deſtinarentur, nondum prædicationi addicti fuiſſe videantur. Cum Stephanus & Fidei amore, & vi Spiritus ſancti, atque miraculorum multitudine polleret plurimum, populos quidem ad Chriſtum rapiebat, diſputationibus vero Libertinos, Cyrenenſes, Alexandrinos, Cilices, & Aſiaticos, quibus Judæis Hieroſolymis ſuæ erant Synagogæ, ita confundebat, ut nemo ſapientiæ, qua abundabat, & validæ Spiritus ſancti impreſſioni, qua ad loquendum incitabatur, reſiſtere poſſet. Judæi igitur ejus rei invidia abrepti calumniatores quoſdam ſubmiſerunt, qui de blaſphemiæ crimine reum illum ad Synhedrium traducerent, per

(*a*) Conſtit. Apoſtol. *l.* 6. c. 8.

(*b*) Apoc. 11. 6. 15.

(*c*) Epiphan. de Chriſto c. 4.

per quod *judicio zeli*, ut vocant, lapidibus ſtatim obrueretur. Id enim optimum & expeditum videbatur, ut æmulum perderent, cum cauſa judiciali methodo apud Romanum Judicem acta, nimis in longum eſſet pertrahenda. In Senatorum igitur Aulam Stephanus deductus eſt, ſtatimque teſtes depoſuerunt, audiviſſe ſe, illum indigna in Moyſem & Deum protuliſſe, futurum ſcilicet, ut Jeſus Nazarenus Templum deſtrueret, Moyſiſque ſanctiones immutaret. Interroganti autem Principi Sacerdotum, quid ad hæc reponeret, Stephanus ore nitenti, ad majeſtatem terroremque compoſito, quale Angeli dixeris, veterem Judæorum Hiſtoriam ab Abrahami vocatione uſque ad Templum per Salomonem ædificatum compendio narravit. Tota autem viri oratio eo ſpectat, ut demonſtret, ſe nullius blaſphemiæ reum, nec injurium in Moyſem, Legem, & Templum, quorum decora exponit, celebratque; quin potius culpam horum criminum in adverſarios ſuos ceteroſque Judæos regerens, accuſat illos, nedum quod jam olim ab exordio Moyſem rejecerint in Ægypto, quando ſcilicet ei exprobratum fuit: *Quis te conſtituit Principem & Judicem ſuper nos* (*a*)? ſed etiam quod Legem ab eo latam fæde corruperint, impendentes cultum falſis Numinibus, Vitulo ſcilicet, Molocho, Remphæ, & Militiæ Cæli, Soli nempe, Lunæ, & Stellis, quæ ſuo ordine majeſtatem, & pulchritudinem exer-

(*a*) Exod. II. 14. Act. VII. 27. 35.

exercitus rite diſpoſiti imitantur (*a*). Laudat ejuſdem Moyſis Oraculum: *Prophetam ſuſcitabi vobis Deus de fratribus veſtris, tamquam me, ipſum audietis* (*b*): quo innuat, ſe Moyſi contraria non prædicare, cum Meſſiam in Jeſu annuntiaret. Repetit frequenter, Legem datam fuiſſe Angelorum miniſterio, ut Judæorum ſuperbiam, Moyſis Legem ſupra Jeſu Chriſti Doctrinam efferentium (*c*), confundat, ſimulque diſcant, ipſam reformari poſſe, ſive perfici. Ad Locum Sanctum quod attinet, revocat in mentem, quo tempore, & per quos Tabernaculum in Deſerto, & Templum Hieroſolymis conſtructa fuerint; ex his collecturus, genuinam Religionem carere utroque poſſe, cum Patriarchæ ante erectum per Moyſem Tabernaculum, & gens tota ante conditum per Salomonem Templum, illam exercuerint; Deum vero nihil ſollicitum eſſe de materialibus ædibus, maxime cum per Iſaiam dixerit: *Cælum mihi ſedes eſt, Terra autem ſcabellum pedum meorum* (*d*): adeoque citra blaſphemiam affirmari, Templum everſum iri, abſque eo quod ſimul evertatur Religio. Hæc tota S. Stephani defenſio, quamquam non directe omnia huc colliment, addita ſcilicet veluti ornamenta & orationis nexus. Cum vero ille animadvertiſſet, obſtinatas adverſariorum mentes argumentis hiſce minime pervadi, nequitiam, & pervicaciam illorum aggreſſus: *Dura*,

(*a*) Act. VII. 39. Vide hanc Hiſt. l. 3. c. 1. n. 6.
(*b*) Deut. XVIII. 15.
(*c*) Joan. IX. 28.
(*d*) Iſa. LXVI. 1.

*Dura*, inquit, *cervice*, *&* *incircumciſis cordibus*, *&* *auribus*, *vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*, *ſicut patres veſtri*, *ita* *&* *vos*. *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos*, *qui prænuntiabant de adventu Juſti*, *cujus vos proditores* *&* *homicidæ fuiſtis* (*a*).

X. Objecta crimina ferre non valentes Judæi, dentibus in virum ſtridebant, qui interim elevatis in ſublime oculis, Gloriæ Dei, ſimulque Jeſu Chriſti ad dexteram Dei ſtantis viſione recreatus: *Ecce*, ait, *video Cælos apertos*, *&* *Filium hominis ſtantem a dextris Dei* (*b*). An tunc viſa illi fuerit Dei eſſentia, & Trias auguſtiſſima; vel hiſcens tantum Cælum, & Jeſus ſtans; diſputatur. Si autem in poſteriorem ſententiam inclinaveris; adhuc quærere licebit, mentis ne, an corporis oculis, Stephanus illa intuitus fuerit. Sed ut ut res habeat ſe ſe, grandia hæc de Chriſto prædicantem cum audiſſent Judæi, aures ſibi obſtruxere, ne blaſphemiarum, quas loqui ipſum rebantur, fæditate contaminarentur; minimeque expectata Synhedrii ſententia, extra urbem Diaconum rapuere, lapidibus conficiendum. Quo autem jaciendis lapibibus expeditiores eſſent, teſtes, ad quos primi ſpectabant jactus (*c*), veſtimenta ſua ad pedes Sauli depoſuerunt cuſtodienda, viri ſcilicet illius, ut omnes conſentiunt, qui ex hoſte Fidelibus infenſiſſimo, deinde acerrimus Fidei propugnator, Paulus nomine, evaſit. Dum ſupplicium illud Stepha-

*S. Stephani Martyrium.*



(*a*) Act. VII. 51.
(*b*) Act. VII. 55.
(*c*) Deut. XVII. 7.

phanus tolerabat, ſtans: *Domine Jeſu*, ait, *ſuſcipe ſpritum meum*; genua vero flectens, elata voce pro perſecutoribus oravit, dicens: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*; ſimulque animam Deo caram efflavit. Defunctum corpus religioſi quidam viri curantes, luctu & lacrymis viro fortiſſimo, ſanctiſſimoque, qui primam Martyribus palmam præripuit, parentarunt. Hæc S. Lucas de geſtis & martyrio S. Stephani. De ſepultura ipſius, atque corporis inventione plura legas in Opuſculo nomine Luciani Presbyteri inſcripto (*a*).

*Fidelium diſperſio. Philippus Samaritanos baptizat. Baptiſmus in nomine Chriſti collatus. Simonis Magi ſcelus, doctrina, interitus. Eunuchus Reginæ Candacis baptizatur.*

## CAP. IV.

ANNO CHRISTI 33. *Fidelium diſperſio.*

I. S. Stephani morte nedum Judæorum furor extinctus non eſt, verum etiam magis exarſit. Et quidem Saulus devaſtabat Eccleſiam, extractoſque Fideles ex ædibus in carcerem agebat, cumque occiderentur, ipſe *ſententiam deferebat* (*b*); hoc eſt, ſuffragium in illorum condemnationem dabat; vel, ut alii volunt, aſſenſum præbebat. Hinc factum, ut Fidelium plerique Hieroſolymis ſe ſubducerent, auctoribus, vel ſaltem conſilium probantibus Apo-

(*a*) In calce t. 10. Novæ edit. S. Auguſt. Act. VIII. 2.

(*b*) Act. VIII. 1. & Act. XXVI. 10.

Apoſtolis, qui in Urbe intrepidi permanſere, totum uni adverſariorum impetum ſuſtinentes. Porro perſecutio iſta, & diſperſio propagandæ Eccleſiæ plurimum ſane contulit; ſanctiſſimi enim illi fugitivi, veluti incenſæ faces ignem ubique Spiritus ſancti deferebant; ut qua ipſi ardebant fide & caritate, omnes incenderentur. Ex illis alii in Phæniciam, atque Inſulam Cyprum, & Antiochiam pervenerunt, alii receperunt ſe Damaſcum, alii Samariam prætulerunt (*a*). Opinati ſunt quidam, Fideles diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bythyniæ, ad quos Petrus priorem epiſtolam ſuam miſit, ipſos eſſe Fideles, qui ea occaſione Hieroſolyma ſe ſubduxerunt; quam tamen diſperſionem alii aliunde repetere malunt.

*Philippus Samaritanos baptizat.*

II. Fidelibus igitur in diverſa abeuntibus, Philippus unus ex ſeptem Diaconis, qui & Evangeliſta appellatur (*b*), Samariam contendit, ibique Evangelium nuntiavit, ratus, nihil ſe præſtare, quod conſilio Jeſu Chriſti repugnaret, quem norat, Evangelium in Urbe Sichar prædicaſſe, multiſque Samaritanorum perſuaſiſſe (*c*). Ad hæc;, Samaritani Meſſiam non ſecus ac Judæi opperiebantur, Circumciſione initiati erant, Scripturas legebant, ſeque poſteros Abrahami aſſerebant, atque revera in cœtu ſuo multos ex veteribus Iſraelitis habebant. Pluribus autem editis prodigiis, pluribuſque ad fidem converſis inter Samarita-



(*a*) Act. XI. 19. IX. 2. VIII. 5.

(*b*) Act. XXI. 8.

(*c*) Joan. IV. 9.

tanos inclaruit Philippus; qui Baptiſmum quidem conferebat, ſed cum Diaconus tantum eſſet, a Confirmatione abſtinebat (*a*).

*Per Confirmationem Apoſtoli Spiritum ſanctum conferunt.*

III. Ut igitur & hoc Sacramento donarentur illi fideles, ſtatim ac Jeroſolymis auditum eſt, Samariam ſuſcepiſſe Evangelium, eo Petrus & Joannes de ceterorum Apoſtolorum conſilio ſe ſe contulerunt; cumque preces fudiſſent, manus ſuper illos qui baptizati tantum erant *in nomine Domini Jeſu* (*b*), imponentes, Spiritum ſanctum eis conferebant. Porro. Spiritus ſanctus alius plane erat a Spiritu gratiæ, juſtitiæ, ſanctitatis, per baptiſmum jam collato. Spiritus erat ille fortitudinis, quo libere & audacter Jeſum Chriſtum fideles faterentur, inducebatque linguarum donum, curandorumque morborum poteſtatem, ac vaticinandi virtutem; licet forte non omnes hæc omnia conſequerentur. Utrum autem Apoſtoli Confirmationis Sacramentum contulerint ſola manuum impoſitione, additis precibus, & forma ſacramentali; an his acceſſerit ſacrum Chriſma, vel Unctio, non convenit inter Doctores. Silentium ſane de Unctione, quod in Scriptura apparet, priori ſententiæ favet; mos tamen, qui a longa jam ætate in utraque Eccleſia Latina & Græca obtinet, poſteriori ſuffragatur. Si in priorem placeret ire ſententiam, diceremus, Eccleſiam cælitus inſtructam tunc Chriſma adhibere cœpiſſe, cum viſibilis Spiritus ſancti illapſus in Ec-

(*a*) Chryſoſt. hom. 18. Iuſ. l. 1. p. 450. Epiph. hæreſ. 21. Iſid. Pe-

(*b*) Act. VIII. 16.

Eccleſia ceſſaſſet. Relinquimus autem Theologis diſputare, an Confirmationis materia conſtituenda ſit potiſſimum in manuum impoſitione, vel in Chriſmate, ſive in utroque ſimul (*a*).

*An Baptiſmus collatus fuerit in nomine Jeſu tantum?*

IV. Baptiſmus *in nomine Domini Jeſu* collatus Interpretes magis exercet. Primo enim quærunt, an umquam collatum fuerit Baptiſma in nomine Jeſu Chriſti tantum, ceteris Trinitatis perſonis non expreſſis. Secundo, an reipſa Baptiſma iſta collatum, legitimum ratumque haberetur? S. Thomas miniſtratum fuiſſe ab Apoſtolis Baptiſma ſolius Jeſu Chriſti nomine negare non audet (*b*); quamquam factum id defendat exceptione quadam, ſive diſpenſatione, ut ſcilicet luculentius in Chriſtianæ Religionis exordio Chriſti nomen clareſceret. Idem docuerunt S. Bonaventura, Scotus, Durandus, aliique plures, tam ex antiquis, quam ex recentioribus. Quibus omnibus præivit Ferrandus Diaconus: *In nomine Domini Jeſu Apoſtoli baptizabant; numquid quia Patrem, & Spiritum Sanctum tacebant, ideo negabant* (*c*)? Cujus ſane teſtimonium nulla interpretatione eluderetur. Verum alii, doctrina pariter præſtantiſſimi, oppoſitam ſententiam tuentur, Chriſti innixi præcepto, ipſis Apoſtolis recenter intimato: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,*



(*a*) Berti l. 32. c. 4. 2. q. 2. ad 3.
(*b*) S. Thom. 3. p. qu. 66. a. 6. & 4. ſent. d. 3. a.
(*c*) Epiſt. ad Anatol. pag. edit. Rom. 75.

*tris*, *&* *Filii*, *&* *Spiritus ſancti* (*a*). Quid ergo, ajunt adverſarii, ſcripſit S. Lucas, Baptiſmum collatum fuiſſe *in nomine Domini Jeſu*? Huic difficultati diluendæ quatuor laudatorum verborum interpretationes afferuntur. I. Baptizabant Apoſtoli virtute, merito, & efficacia Chriſti. II. Baptizabant baptiſmo a Chriſto inſtituto, non a Joanne, aut Moyſe, ſive Phariſæis. III. Baptizabant, eoque ritu initiatos Chriſti cultui, ſive Religioni Chriſtianæ dedicabant. IV. Baptizabant illos tantummodo, qui erant edocti, perſuaſique, Chriſtum eſſe Deum; prævia hac confeſſione, Trinitas invocabatur, & baptiſma conferebatur. Porro Chriſti honori, & gloriæ maxime conſulitur, ſi ipſe Deo Patri, & ſpiritui Sancto baptizandi forma compar ac per omnia ſimilis prædicetur, adhibeaturque eadem forma uti ab ipſo inſtituta eſt, non vero decurtata. Ex hac ſententia conſequitur, baptiſmum nomine Jeſu Chriſti tantum collatum inane Sacramentum fore.

*Simonis Magi ſcelus.*

V. Inter ceteros, quos Philippus baptiſmo initiavit, numerabatur Simon Magus; quamquam verene, an ficte Sacramentum illud ſuſceperit, in utramque partem verſetur. Is ex Veterum fide incola erat Urbis Gittonis in Samaritide (*b*); qui magicis artibus eam de ſe opinionem indiderat Samaritanis, ut reputaretur *Virtus Dei magna* (*c*), id eſt, Pater an-

(*a*) Matth. XXVIII. 19.

(*b*) Epiph. hær. 21. Juſtin. Apol. 2.

(*c*) Act. VIII. 10.

ante omnia editus, juxta S. Irenæum (*a*), vel Meſſias, juxta alios (*b*). Simon viſis antea miraculis a Philippo patratis obſtupuerat; ſed animadvertens deinde, confirmatos a Petro & Joanne, in alios homines mutari, ut fierent repente variis linguis eruditi, Sapientes, Prophetæ, miraculorum operatores, particeps eſſe cæleſtium hujuſmodi donorum optans, oblata pecunia Apoſtolos, ut ſibi illa largirentur, rogavit. Neque difficile impetraſſet, ſi animo ſincero, & vera ductus fide acceſſiſſet. Sed illud potius cupiebat, ut manuum impoſitione eadem dona aliis ipſe poſtea conferens, immenſam opum vim ſibi compararet, ac per ora hominum celebraretur, integramque ſervaret famam, quam præſtigiis pepererat, ac Philippo, cui nil tale conceſſum fuerat, præſtantior videretur (*c*). His offenſus Petrus: Pecuniam, ait, tuam malo tuo tibi habeto. Conſors equidem non eris Spiritus ſancti, quem elargimur. Quamvis autem ſimilem te dixerim plantis illis venenatis, quas fruſtra corrigas, moneo tamen, ut quantocius rogata a Deo venia, ſi fieri umquam poteſt, immaniſſimum crimen eluas. Simon territus ad hæc, Apoſtolos rogavit, ut precum ſuarum interpoſitione Dei ultionem a ſe averterent. Habes hic falſæ pœnitentiæ exemplum, quæ peccatum non execratur, ſed peccati pœnam tantummodo metuit. Poſt

 hæc,

(*a*) Iren. l. 1. c. 20. Juſtin. Grot. From.

(*b*) Epiph. Hieron. Auguſt. Theodoret.

(*c*) Auguſt. in Pſal. xxx. & cxxx.

hæc, Petrus & Joannes Jeroſolymam redeuntes, urbes Samariticas, qua tranſeundum erat, prædicationibus erudiebant.

*Helena Simonis ſcortum.*

VI. His, quæ ex S. Luca de Simone retulimus, plura ex Patribus derivata addenda ſuperſunt. Petri monitis minime acquieſcens Simon, qua priſtinis artibus, qua novis erroribus, apoſtolicæ prædicationi adverſarium ſe præbuit infenſiſſimum. Deſerta igitur Samaria, ſi quam provinciam Evangelii præcones non adhuc excurriſſent, eo ſe conferens, prædicationibus ſuis imprudentes populos præoccupabat (*a*). Cum Tyrum veniſſet, proſtitutam feminam, nomine Silenem, ſive Helenam ſibi adſciſcens, omnium itinerum ſuorum ſimul & criminum pudendiſſimorum comitem adhibuit. Hanc feminam, cui & Spiritus ſancti, & Minervæ, & Barbeli, nempe Filiam Baal, ſive Beli, nomen indiderat, omnium rerum Parentem, & primam Intelligentiam prædicabat, per quam creare Angelos ſummus Pater decreviſſet; ſed hoc ejus conſilium ſubodoratam Helenam, ad inferiorem regionem delapſam, Angelos peperiſſe, quibus illa nullam Patris ſui cognitionem manifeſtavit. Ab his Spiritibus, addebat, creatos deinde Mundum & homines, datamque Judæis Legem; ſed cum illi metuerent, ne ipſorum origo ab Helena panderetur, eam apud ſe veluti captivam & indigna plurima patientem, retinuiſſe, reditu ad Patrem præcluſo; im-

(*a*) Iren. l. 1. c. 20. Theodoret. l. 1. c. 1. Tertull. de Anima c. 34.

immiſiſſe tandem illam in varia mulierum corpora, inter quæ locum habet Helena Menelai uxor, ex qua Trojanum bellum exarſit; ac tandem poſt varias rerum viciſſitudines ipſam in muliere illa, quam ſecum ducebat, conſtitiſſe.

*Simonis dogmatam.*

VII. Meſſiam ſe jactabat Simon e Cælo ad libertatem Helenæ, quam errantem oviculam dicebat, reſtituendam, delapſum; cum veniret, varia peragrantem luce, dominantis in illis Intelligentiæ formam induiſſe, ne agnitus detineretur; terras aſſequutus, hominis ſpeciem tantum, non veritatem, adoptaſſe; atque a Judæis in Crucem actum umbratico ſupplicio homines credulos fefelliſſe. Gloriabatur pariter, ſe veniſſe tamquam Patrem Samaritanis, tamquam Filium Judæis, tamquam Spiritum ſanctum Gentilibus; veniſſe autem nedum in Helenæ ſalutem, verum & ad reſtituendum Univerſi ordinem, Angelorum ambitione turbatum, liberandoſque homines, quibus ſummum erat malorum, quod Simonem non cognoſcerent, ac Angelorum jugum ſuſtinerent; Angelorum ſcilicet diſcrimen inter bona & prava opera eo conſilio invehentium, ut homines in depreſſione, & ſervitute tenerent. Opera omnia, dicebat, per ſe indifferentia ſunt; quamobrem qui ſpem in ipſo Simone, & Helena collocaſſent, ipſos fore ea ſuperſtitione liberos, & facere quidquid liberet, poſſe. His aliiſque Simonis erroribus plus nimio inhæſerunt ejus Diſcipuli, æternam in Chriſtianum nomen, quo illos Magiſter de-

co-

corabat, nefandiſſimis criminibus ſuis invidiam creantes.

*An Simoni Romæ ſtatua erecta fuerit?*

VIII. Poſtquam varias Orientis provincias luſtraſſet, tandem Romam Claudio imperante ſe contulit. Ibi vero tantum valuiſſe ferunt, ut juſſu Senatus ſtatua in Inſula Tiberina erigeretur, hac adjecta epigraphe: *Simoni Deo Sancto*; ſive, *Simoni Sancto & Deo*. Plures tamen peritiſſimi Critici hujus hiſtoriæ, quam tradunt Juſtinus, Tertullianus, Euſebius, Cyrillus, Theodoretus, Auguſtinus, aliique, veritatem in dubium revocantes, ſtatuam quamdam *Semoni Sanco*, ſive *Sango* Pagano Numini ab Ethnicis erectam, fucum feciſſe S. Juſtino, qui ea de re omnium primus, tamquam oculatus teſtis, ſcripſit, ſuſpicantur. Cujus quidem conjecturæ in cauſa fuit inventus in eadem Inſula lapis non diſſimilis epigraphes: *Semoni Sango Deo Fidio ſacrum Sex. Pompejus S. P. E. Col. Muſſianus Quinquennalis Decur. Bidentalis donum dedit.*

*Simonis interitus.*

IX. Romæ obiiſſe Simonem, una eſt omnium antiquorum vox. Cum ſe Chriſtum eſſe palam oſtendere cuperet, ad Deum, quem Patrem ſuum jactabat, aſcenſurum edixit. In ſublimem jam aerem, occulto Dæmonum miniſterio delatus volitabat, cum SS. Petrus & Paulus, orationum ſuarum vi malis ſpiritibus depulſis, effecere ut vir impius pondere ſuo in terram prolapſus, cruribus frangeretur. Paulo poſt dolore ſimul & pudore actus, e feneſtra præcipitem ſe dejiciens

ciens animam efflavit. Spectaculum illud in primo Petri Romam adventu ſub Claudio contigiſſe ferunt nonnulli; ſed alii, & quidem frequentiores, ad ſecundum revocant ſub Nerone; eoque Dionem Chryſoſtomum ſpectaſſe dicunt, cum de Nerone narrat, diutius illum in Aula virum habuiſſe, qui volitaturum ſe per aera pollicitus eſt (*a*); ſicut & Svetonium referentem (*b*), virum quemdam in ludis publicis per aera volitare conatum, ſub ipſum incepti ſpectaculi initium in terram præcipitem decidiſſe eo impetu, ut ſanguis ad Imperatorem uſque reſiliret. Mirari ſubit, cur nihil habeat Euſebius de Simonis lapſu, Cælum volatu petentis; ſilent etiam vetuſtiſſimi ex Patribus, Simonis non incurioſi indagatores, Juſtinus, & Irenæus, Origenes, & Tertullianus. At ceterorum Patrum, Sulpicii Severi, Auguſtini, Arnobii, Philaſtrii, Ambroſii, Maximi Taurinenſis, Theodoreti, Cirilli Jeroſolymitani, Iſidori Peluſiotæ, luculentiſſimum hac de re teſtimonium fertur (*c*).

X. Cum adhuc Philippus, uti quidem videtur, Samariæ verſaretur, juſſu Angeli in plagam meridionalem Juda, Hebronem verſus, ad viam, quæ Jeroſolyma Gazam deſertam ducebat, conceſſit. Ibi Æthiopem quemdam nactus eſt, Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum & Præfectum regii Ærarii, qui poſt

*Eunuchus Candacis e Philippo baptizatur.*

(*a*) Orat. 21.
(*b*) Svet. l. 6. c. 12.
(*c*) Calm. de Simone differt. & Gotti de Petro §. XI.

poſt impenſum vero Deo Jeroſolymis cultum ad propria remeabat. An Eunuchus fuerit origine Judæus, ſive potius Proſelytus ex Gentilibus, diſquiritur. Tunc Philippus ejuſdem Angeli monitu, ſive intimo S. Spiritus impulſu incitatus, propius ad currum accedens, audienſque hominem ex Propheta Iſaia legentem: *Tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum* (*a*): interrogavit, an quæ legebat, aſſequeretur? Reſpondit ille, ſe imparem eſſe Oraculis Prophetæ abſque interprete; rogare proinde, ut una ſecum in curru aſſideret. Cum Philippus paruiſſet, alter quæſivit, num Iſaias de ſe, an de alio quopiam loqueretur? Recte hic Grotius: *Non putabat Eunuchus, tam perſpicuam ubique eſſe Scripturam, & expoſitum omnibus habere ſenſum, ut nunc faciunt non ſellularii tantum, ſed & feminæ, quæ rectius facerent, ſi duce ſibi opus eſſe agnoſcerent*. Ita eruditiſſimus ille vir, qui Heterodoxis ſuſpectus eſſe non deberet, cum & ipſe in caſtris ab Eccleſia Romana alienis militaverit. Sed ad hiſtoriam revertendum eſt. Philippus ea occaſione arrepta Jeſum Chriſtum, Eunucho annuntiavit. Cum autem inter eundum ad quemdam fontem perveniſſent, quæſivit Eunuchus, an baptizari poſſet? Interroganti Philippo, utrum crederet, Jeſum eſſe Filium Dei, ille affirmavit; quare conſiſtente curru, ambo in aquam deſcendentes, alter alterius ope ablutus eſt. Secundum hæc,

S. Spi-

(*a*) Iſa. LIII. 7.

S. Spiritus Philippum rapuit, qui ſtatim ab Eunuchi oculis evaneſcens, Azotum pervenit; ubi munere evangelicæ prædicationis reaſſumpto, fidem per omnes urbes, quibus occurrebat, annuntians, ſe ſe Cæſaream Palæſtinæ contulit (*a*). Hic ſedem fixiſſe videtur, cum Paulus Apoſtolus aliquot poſt annos eo veniens, apud illum aliquandiu commoratus ſit. Ibique etiam degebant filiæ ejus quatuor, Prophetiæ dono illuſtres (*b*). In eadem urbe ædes Philippi, & ipſius filiarum conclavia S. Hieronymi ætate monſtrabantur, quæ S. Paula religioſe inviſit (*c*).

XI. Eunuchus, cujus converſionem deſcripſimus, Apoſtolum gentis ſuæ & Catechiſtam egiſſe, ex Irenæo, Euſebio, & Hieronymo docemur. Hodie pariter Abyſſinii fidei ſuæ auctorem agnoſcunt. Non deſunt, qui Apoſtolum illum conſtituant Arabiæ Felicis; quippe qui Reginam Candacem ibi regnaſſe autumant. Vulgo tamen creditur hæc Regina, cui Eunuchus parebat, in Peninſula Meroe ad Ægypti Meridiem ditionem obtinuiſſe; ibi enim feminas regnaſſe conſtat, e quibus nonnullæ Candaces appellabantur (*d*). S. Eunuchi memoria die 27. Auguſti a Græcis colitur. *Eunuchi ſedes.*

*S. Pau-*

(*a*) Act. VIII. 26.
(*b*) Act. XXI. 8.
(*c*) Hieron. ep. 27.
(*d*) Plin. l. 6. c. 29.

*S. Pauli converſio. Is Damaſco fugiens Jeroſolymam deducitur. Recipit ſe Tharſum. S. Petrus Eccleſiam Antiochenam fundat; paraliticum ſonat, & mulierem mortuam ad vitam revocat.*

## CAP. V.

*Paulus in Eccleſiam ſurit.*

I. PAulus, qui & Saulus, e Tribu Benjamin, Tharſo in Cilicia oriundus; ſecta Phariſæus, ab ineunte ætate Jeroſolymam miſſus a parentibus, Legis ſtudio ſub Gamaliele operam dedit. Plurimum in eo ſcientiæ genere profecit; ſed & morum innocentiam non modice excoluit, ut nihil in eo reprehendendum occurreret; quin etiam ipſius Legis zelo præ ceteris commendandus videbatur. Sed hoc ardore longius, quam par eſſet, abreptus, Eccleſiæ Dei, cum in Stephani martyrio, tum in fidelium diſperſione hoſtem ſe ſe exhibuit acerrimum (*a*). His minime contentus, Caipham ſummum Sacerdotem, ceteroſque Synhedrinos Patres conveniens, literas impetravit ad Judæos Damaſcenos, quibus copia ſibi fieret, ut quos deprehenderet Chriſtianæ fidei ſectatores Jeroſolymam traheret, a Synhedrio judicandos. Licet Judæi jus ſanguinis non haberent, poterant tamen Patriæ Legis violatores capere, judicare, damnare; puniendos autem ſupremo ſupplicio, ſi culpa ex-

(*a*) Act. VII. 27. VIII. laſt. I. 13. 3. XXII. 5. XXVI. 12: Ga-

expoſceret, Romano Præſidi tradebant, niſi *Judicium Zeli* aliud ſuaderet. Si vero morte dignos non deprehenderent, ipſi in carcerem tradebant, cædebant flagris, vel aliis ſuppliciis citra necem cruciabant.

ANNO Chriſti 35. *Paulus cæleſti voce proſtratur.*

II. Paulus igitur cædem & ſanguinem meditans, iter Damaſcum verſus ſuſcepit; cumque urbi jam appropinquaret, inopinato circa horam meridianam radius ingens cælitus vibratus euntem percuſſit, & humi proſtravit, inſonante ſimul hac voce: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Ad quæ Paulus: *Quis es, Domine?* Cui reſponſum: *Ego ſum Jeſus, quam tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Perterrefacto autem, obrigentique, atque ad omnia ſe paratum profeſſo, injunctum eſt ut Damaſcum ſubiret, ibi divina mandata auditurus. Porro qui Paulum comitabantur, lucem quidem illam viderunt, & Pauli etiam vocem audierunt, minime vero Jeſu, licet ipſorum auribus fragor quidam confuſus inſtar tonitru inſonuerit (*a*). Paulus e terra ſurgens, ſubito ſe, quamvis oculis apertis ſciret, cæcitate percuſſum ſenſit. Quare manu ductus Damaſcum venit, ubi triduo jejunans in domo cujuſdam Judæi nomine Judæ manſit. Hoc tridui intervallo Paulum raptum fuiſſe ad tertium Cælum, ibique Myſteria, quæ effari non decet, edoctum, Interpretes plures tenent (*b*). Alii pariter eodem triduo ipſum didiciſſe volunt Evange-

lium

(*a*) Act. IX. 7. & XXII. 9. de infra c. II. n. I.
(*b*) 2. Cor. XII. 2. Vi-

lium a ſe promulgandum; quod tenere ſe non ab hominibus, ſed a Deo revelante fatetur (*a*). Verum non rari hæc omnia ad illud referunt tempus, quo Paulus, & Barnabas ad prædicandum Gentilibus Evangelium ordinati ſunt (*b*).

*Ananias Paulum baptizat.* III. Poſt triduum illud Ananias quidam, quem alii laicum faciunt, alii Diaconum, alii Sacerdotem, alii tandem unum ex 70. Chriſti Diſcipulis, qui Damaſcenis Epiſcopus datus ſit, Saulum convenire, impoſitiſque illi manibus ſanitati oculorum reſtituere a Deo juſſus eſt. Detrectanti Ananiæ munus in virum Eccleſiæ & Deo infenſiſſimum: *Vade*, ait Dominus, *hunc enim ſelegi*, *ut portet nomen meum coram Gentibus*, *&* *Regibus*, *&* *filiis Iſrael*. *Ego enim oſtendam illi*, *quanta oporteat eum pro Nomine meo pati* (*c*). Morem gerens Ananias Saulum adivit, expoſuitque, ſe a Domino miſſum, ut viſum ipſi reſtitueret, ſimulque Spiritum ſanctum conferret. Manu autem capiti illius impoſita, quædam veluti ſquamæ ex ejuſdem oculis dilapſæ ſunt; revocatuſque ad lucem, ſtatim baptiſmum recepit. Ananiæ ſepulcrum Damaſci in Eccleſia magnificentiſſime erecta colitur, quem locum Turcæ in Moſchæam converſum ſumma religione obſervant. Sunt qui Pauli converſionem ſeptimo anno poſt Chriſti paſſionem collocent, ſpatio utique diuturniori, quam quod exigitur implendis iis quæ in Actis narrata ſunt. Proba-

(*a*) Galat. I. 12. Gotti Baron. Tillemont.
(*b*) Act. XIII.3.Calm. (*c*) Act. IX. 10.

babiliora igitur opinantur, qui hæc geſta putant altero a Chriſti obitu anno.

*Paulus Damaſco aufugit.*

IV. Saulus ad chriſtiana ſacra translatus, cibum deguſtavit, viribuſque confirmatus totum illud tempus, quo Damaſci ſubſtitit, audiendis Chriſti diſcipulis ibidem verſantibus, & prædicando in Synagogis Jeſu Chriſto exegit. Inde Arabiam excurrit (*a*), forte in vicinia Damaſci, quæ Aretæ Arabiæ Regi parebat. Quid ibi egerit, ignotum, licet nonnulli cenſeant, eo virum ſeceſſiſſe, ut in ea quiete prædicationi melius ſe compararet (*b*). Poſt modicum tempus, iterum Damaſco reſtitutus prædicationis muneri inſtitit, non ſine audientium ſtupore, quibus ipſius pro Lege zelus notus antea fuerat. Exacto triennio, ut fert multorum opinio, Judæi Religionem noſtram creſcere ex Pauli miniſterio, ingentemque Judæorum ac Gentilium turbam Jeſu Chriſto nomen dare, moleſte ferentes, Paulum interficere decreverunt. Quare Damaſci Præfectum corrupere, ut vinctum illum ſibi permitteret. Areta Rex, in cujus ditione erat Damaſcus, bellum tum gerebat cum Herode Antipa, ob filiam ſuam ab eo repudiatam (*c*). Credibile ergo eſt, Judæos accuſationem paraſſe in Paulum de favore clam hoſti præſtito. Cum igitur Paulus portas urbis a cuſtodibus diu noctuque occaſione belli obſer-

D

(*a*) Act. IX. 19. Galat. I. 7.

(*b*) Uſſer. Pearſon. alii.

(*c*) Vide hanc Hiſtor. l. 10. c. 5. n. 16.

ſervatas non ignoraret, per mænia e feneſtra, quæ ſubjectis agris imminebat, ut dimitteretur in ſporta, curavit.

ANNO Chriſti 37. *Paulus Jeroſolymam, ac deinde Tharſum venit.*

V. Ita a præſentiſſimo periculo liberatus, Jeroſolymam venit, ut videret Petrum, quem fama tantum norat, ac merito ceu columnam Eccleſiæ ſolidiſſimam, & Apoſtolorum Principem habebat (*a*). Porro Diſcipuli, qui Jeroſolymis verſabantur, evitabant Paulum, nec conſuetudinem cum illo habere familiarem audebant, metuentes, ne detegere res eorum tentaret, Synhedrio proditurus. Verum Barnabas Saulum ad Apoſtolos Petrum & Jacobum deduxit, eoſque converſionis, geſtorumque omnium illius certiores fecit (*b*). Quamvis autem Apoſtolorum familiaritate uteretur, novi tamen nil ab eis didicit, cum a Domino ſatis abunde edoctus fuiſſet. Subſtitit Paulus in ea urbe ſpatio quindecim tantum dierum, cumque audacter omnibus nomen Domini prædicaret, Judæi hæc minime ferentes illius necem meditabantur. Hinc Cæſaream Palæſtinæ virum ſubducere fratribus viſum eſt, indeque Tharſum Ciliciæ patriam ſuam delatus (*c*); ubi quinque vel ſex annorum ſpatio manſit, donec ſcilicet a Barnaba vocatus, Antiochiam cum illo venit (*d*). An autem in illa urbe prædicaverit, diſputatur, Origene negantem ſententiam, Chryſoſtomo affirmantem tuentibus.

VI.

(*a*) Hieron. & Chryſoſt. in cap. I. ad Galat.
(*b*) Galat. I. 18.
(*c*) Act. IX. 26.
(*d*) Act. XI. 25.

VI. Mota in obitu S. Stephani perſecutio brevi quieverat; id agente Deo, ut Diſcipuli pacis opportunitate uſi, Evangelii propagationi ſedulo incumberent. Inde factum ut Eccleſia longe lateque per totam Judæam, Galilæam, & Samariam ſecura permaneret, augereturque in timore Domini, & conſolatione ſancti Spiritus. Interim Petrus per ſingulas urbes diſcurrebat, explorans, an recta diſciplina ubique ſervaretur (*a*). Facile tunc Eccleſiam Antiochenam fundavit, quam quidem fundationem alii anno 37. alii 38. alii 39. conſignant. Porro Eccleſia illa ex Judæis tantum ad fidem converſis initia ſumpſiſſe creditur, cum ante Cornelii converſionem, de qua mox, minime innoteſceret, prædicandum eſſe Evangelium etiam Gentilibus. Petrum ſeptennio Antiochiæ egiſſe Epiſcopum, vulgo fertur; interrupto tamen, nam ea annorum periodo Provincias Aſiæ, Bithyniæ, Galatiæ, Cappadociæ, & Ponti peragravit; ad quarum fideles poſtea ſuam priorem Epiſtolam dedit, dum Romæ verſaretur, anno prorſus incerto, non ſerius tamen quinquageſimo, nec prius quadrageſimo quinto, uti quidem cenſet Calmetus (*b*). S. Lucas in Actis nihil de Eccleſiæ Antiochenæ per Petrum fundatione commemorat, quam tamen aliunde accepimus. Hinc Epiſcopus Antiochenus titulo patriarchali inſignitus eſt.

Anno Chriſti incerto.

*Petrus Eccleſiam Antiochenam fundat.*



(*a*) Act. IX. 31.

(*b*) Prolegom. in eamd. Epiſt.

*Petrus Æneam ſanat, & Tabitham vitæ reſtituit.*

VII. S. Petrus, referente Luca, Lyddam, alio nomine Dioſpolim, veniens, nactus eſt virum quemdam, quem Æneam vocabant, octavo jam anno paralyſi laborantem; cui Petrus: *Sanat te Dominus Jeſus Chriſtus: ſurge, & lectum tibi ſterne* (*a*). Hujus autem prodigii palam omnibus exhibiti fama reſonante, nedum cives Lyddæ, verum etiam Sarona univerſa, regio a Lydda uſque Cæſaream Palæſtinæ protracta (*b*), Chriſto nomen dederunt. Accidit pariter ut Tabitha, græce Dorcas, nomen ſylveſtrem capram ſonans, femina religioſa, Joppe degens, diem clauderet; quare accitus illuc a Lydda Petrus, defunctæ conclave ſolus ingreſſus eſt. Effuſus poſtea in preces, Tabitæque cadaver reſpiciens, ait: *Tabitha, ſurge*. Nec plura; ſtatim mortua apertis oculis Petrum intuita, ſurgens e lecto reſedit. Ibi Petrus aliquibus diebus in domo Simonis cujuſdam coriarii ſubſtitit.

*Cor-*

(*a*) Act. IX. 34. (*b*) Calm. hic.

*Cornelius Centurio ad Fidem convertitur. Petrus Gentibus portas Eccleſiæ aperiendas eſſe, celitus docetur. Judæorum ea de re querelæ. Diſcipuli Antiochiæ primum Chriſtiani appellantur. Eo Barnabas & Saulus veniunt. Fames graſſatur.*

## CAP. VI.

I. CÆſareæ Palæſtinæ verſabatur quidam Centurio, nomine Cornelius, legioni, quam Italicam appellabant, adſcriptus. Hic quamquam genere Ethnicus, Deum timebat, orationibus inſuper & eleemoſynis vacans; quæ religioſæ pietatis officia a Judæis didicerat, quorum tamen Religionis publicam profeſſionem non admiſerat. Illis autem dumtaxat domeſticis utebatur, qui heri pietatem æmulati, Deum venerarentur, & prophanas ſuperſtitiones rejeciſſent. Cum quadam die, tertia poſt meridiem hora, orationum ſuarum penſum redderet, Angelum humana forma obviam habuit; a quo juſſus eſt, ut miſſis Joppen ad domum Simonis coriarii nuntiis Petrum ad ſe accerſeret, edocendus ab eo, quæ ſibi ſuiſque promerendæ ſaluti præſtanda eſſent. Cum Angelus evanuiſſet, tres ex militibus ſuis ſtatim ad Petrum ablegavit (*a*). ANNO CHRISTI incerto. *Cornelii converſio.*

II. His excipiendis, utpote a viro non Judæo miſſis, Petri animus cæleſti quadam viſione præparatus eſt. Apoſtolus igitur in te- *Petri viſio.*

 ctum

(*a*) Act. x.

ctum ædium Simonis hoſpitis ſui oraturus circa horam diei ſextam aſcenderat; cumque jentaculo famem relevare cogitaret, ſubita extaſi raptus, linteum ampliſſimum e Cælo demiſſum ſpectavit, animalibus omnibus puris impuriſque plenum, cui ſuſtinendo quatuor ipſius anguli, veluti totidem manus deſervirent. Tunc audita cælitus vox: *Occide, & manduca*. Cum Petrus abnueret, obtenderetque, nihil ſe impurum ad Legis ſanctionem unquam deguſtaſſe; vox iterum: *Quod Deus purificavit, tu commune*, hoc eſt impurum, *ne dixeris*. His iterum, & tertio repetitis, tandem linteum in Cælum receptum eſt. Dum autem Petrus intra ſe hæſitaret, quid ſibi illa viſio vellet, viri a Cornelio miſſi, ſupervenientes, omnium, quæ Centurioni acciderant, hiſtoriam narrarunt, orantes ipſius nomine, ut ſecum Cæſaream uſque venire Apoſtolus non gravaretur; quod ab illo facile impetratum eſt. Data enim ſibi interim per Spiritum ſanctum luce agnoverat Petrus viſum illud linteum, omnibus indiſcriminatim animantibus plenum, deſignare, nihil ſibi diſcriminis ſtatuendum eſſe inter Judæum & Gentilem, quoad labem illam externam ex diverſitate rituum & nationum provenientem. Mane igitur alterius diei ſimul omnes, adjunctis etiam nonnullis ex Joppe fratribus, viæ ſe commiſerunt.

*Cornelius baptizatur.*

III. Venientes Cornelius cum neceſſariis & amicis excepit, atque ante primas ſalutationes ſtatim Cornelius ad Apoſtoli pedes accidens, pronus adoravit; quem tamen prompte Petrus rele-

relevavit, ſe nil ſupra hominem proteſtatus; omneſque ſimul domum ingreſſi ſunt. Tunc Petrus expoſuit, ſe quidem cum Ethnicis conſuetudinem habere religioni ductūrum; ſed a Deo per viſum admonitum, ne hominem quemcumque immundum reputaret; ideo prompto ad ipſum animo veniſſe: quid igitur vellet, exponeret. Cum Cornelius totam viſionis ſuæ hiſtoriam narraſſet, Petrus Deo gratias egit, quod ab Evangelii ſalute nullum hominum genus excluſiſſet. Sermonem dein de Chriſti *omnium Domini* in Mundum adventu, morte, & reſurrectione inſtituit. Cum adhuc loqueretur, manifeſto illapſu, facile ſub ignis ſpecie, Spiritus ſanctus venit ſuper Cornelium, ceteroſque auditores; qui ſubito œſtro abrepti in laudes Dei variarum linguarum ſono erupere. Prodigium aliis ex Circumciſione Fidelibus, qui cum Petro venerant, admirantibus, Apoſtolus: An, inquit, baptiſmus iis denegandus eſt, in quos Spiritus ſanctus deſcendit? Nec mora; omnes Petri juſſu baptizati ſunt. Hujus rei famam, Hieroſolymam delatam, Fideles non æquo animo exceperunt; quippe hominem incircumciſum in Fidelium cœtum recipere præter morem videbatur. Diſcipuli namque quamvis longe lateque ſe ſe diffudiſſent, *nemini tamen locuti fuerant verbum, niſi ſolis Judæis* (a). Verum auditis a Petro Cæſarea reduce, ubi aliquanto ad Cornelii preces ſubſtiterat, quæ ſibi circa eam rem eveniſſent, nedum acquievere, ſed Deum

 ſum-

(a) Act. xi. 19.

ſummis laudibus proſecuti ſunt, qui Gentilibus ſalutis januam aperuiſſet. Utraque Eccleſia, Latina ſcilicet, & Græca, Cornelium inter Sanctos cooptavit. Sunt qui illum Epiſcopum Cæſareæ fuiſſe ſcribant. Nonnulli, Ilii; ceteri, Scepſis, quæ urbes parum diſtant, Epiſcopum malunt. Cornelium omnium Gentilium primum Chriſti Fidem & baptiſmum excepiſſe, eſt opinio ſatis aſſerta. Eunuchus enim Candacis, & ſi quis alius ex Gentilibus baptiſmo ante Cornelium initiatus ferat, Religionem Judaicam inter Proſelytos, quos Juſtitiæ vocant, profitebatur (*a*).

*Quo tempore Cornelius juſtificatus fuerit.*

IV. Quæſtio eſt celebris, quo tempore idem Cornelius primum juſtificatus fuerit. Triplex autem recenſetur opinio. Prior quidem, ante Angeli viſionem fuiſſe juſtum defendit; altera, cum Spiritus ſanctus in illum, ceteroſque domeſticos deſcendit; tertia denique, poſt ſuſceptum baptiſmum. Si priorem ſententiam ſequaris, in Cornelio ante Angeli apparitionem admittenda eſt nedum Fides explicata de Exiſtentia & Providentia Dei, ſed & Fides ſaltem implicita de Trinitate & Meſſia, votumque præterea virtuale de ſuſcipiendo Baptiſmo. Ad hæc autem valebat firmum illud voluntatis propoſitum credendi quæcumque Dei revelatione noſſet, & implendi quæcumque ſibi Dei juſſu mandari intelligeret. Porro hujuſmodi Fides juſtificando Cornelio, tempore translationis Legis viventi, & nondum promulgato Evangelio, par cenſeretur, licet exinde,

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 2. c. 2. n. 8.

inde, promulgato ſcilicet Evangelio, ex communi Thelogorum placito, nemini juſtificatio contingere potuerit, quin prius explicita de Trinitatis & Incarnationis Myſteriis fide imbutus fuerit (*a*).

Anno Christi 43. *Barnabas Saulum Antiochiā adducit, ubi Fideles primū Chriſtiani appellantur.*

V. Cum Hieroſolymorum fratres augeri in dies numerum credentium Antiochiæ intellexiſſent, illuc Barnabam miſerunt, ut id quod potiſſimum Diſcipulorum Cypriorum, & Cyrenæorum opera feliciter inchoatum fuerat, abſolveret. Eccleſia Antiochena a Petro antea fundata fuerat. Sed conſtabat ex ſolis Judæis ad Fidem converſis. Abſente autem Petro, Cyprii & Cyrenæi, prædicato etiam Gentilibus Evangelio, novo Fidelium genere Eccleſiam illam auxerunt (*b*). Barnabas tantis gaudens incrementis, fideles omnes admonuit, ut numquam a Chriſti fide diverterent. Pius autem viri ardor, prudentia, & ſapientia, quæ illum apoſtolico muneri parem efficiebant, in cauſa fuerunt, ut non ſolum Fideles, quos ibi nactus fuerat, in ſancto propoſito confirmarentur, ſed etiam ut alii plurimi ad Chriſtianorum ſacra tranſirent. Profectus deinde eſt Tharſum, ut quæreret Saulum, qui eo ſe ſe receperat Judæorum molitiones vitaturus; quem cum inveniſſet, Antiochiam perduxit, ubi ſolido anno ſimul commorantes, tam multos ad Chriſtum adduxere, ut Fideles ibi primum *Chriſtiani* appellarentur (*c*). Ante id

(*a*) Calm. in Act. x. 3. (*b*) Vide ſupra c. 5. Berti de Theolog. Diſcipl. n. 6. & Act. xi. 19. 20. t. 4. p. 470. & t. 6. p. 553. (*c*) Act. xi. 26.

id temporis dicebantur *Fratres*, *Sancti*, *Diſcipuli*, *Credentes*, *Fideles*; quæ tamen nomina diu etiam poſtea perſeverarunt. Quis autem id nominis Fidelibus indidit? Paulus ne, an Barnabas? An ipſi per ſe Diſcipuli? An Ethnicus aliquis? Scriptura ſilente, varii varia excogitarunt. Chriſtiani nominis oſores Noſtris nomen dabant *Galilæorum*, quod Chriſtus in Galılæa ſe ſe prodiderit; ſicut & *Nazaræorum*, quod in Nazareth annos vitæ ſuæ pleroſque egerit. Ex quadam etiam nominis corruptione Fideles appellati ſunt *Chreſtiani*, & Chriſtus Chreſtus (*a*). Cum autem etiam Hæretici ſe Chriſtianos eſſe gloriarentur, nomini Chriſtiani additum eſt cognomen *Catholici*, ita ut Chriſtianus Catholicus ille ſit, qui ubique unus credit omnia quæ Eccleſia ubique credenda proponit.

*Fame graſſante eleemoſynæ colliguntur.*

VI. Dum Barnabas & Saulus Antiochiæ verſarentur, plures Prophetæ illuc Hieroſolyma venerunt; ex quibus unus, Agabus appellatus, validam in univerſo Terrarum Orbe famem futuram prædixit. Porro Fideles Antiochiæ certiores facti de extrema rerum omnium inopia, quæ Chriſtianos Hieroſolymæ tenebat, quorum plerique res ſuas in communem uſum converterant, collectas in eam rem eleemoſynas, Saulo & Barnabæ tradiderunt, ut eo ad *Seniores*, græce *Presbyteros*, in pauperes diſtribuendas, deferrent. Quem vero gradum & dignitatem viri illi tenerent, diſſidium eſt, aliis Apoſtolos, aliis Epiſcopos, aliis

(*a*) Sveton. in Claudio.

aliis Sacerdotes, aliis Diaconos, aliis tandem ipſum Eccleſiæ Presbyterium, ſive Senatum, ex univerſis ejuſdem Eccleſiæ Miniſtris conflatum, præferentibus (*a*).

*Jacobus Major Herodis juſſu interficitur. Petrus in carcerem detruſus, ab Angelo liberatur. Herodes miſerabili letho abſumitur. Petrus Romam venit, ibique Eccleſiam conſtituit, ac primam Epiſtolam ſcribit. Apoſtolorum diviſio. Symbolum. Saulus & Barnabas ad Gentes mittuntur. Saulus Barjeſum cæcitate punit. Sergius Paulus Proconſul convertitur. Saulus nomen in Paulum mutatur Pauli & Barnabæ prædicatio. S. Thecla convertitur. Pauli labores.*

## CAP. VII.

I. HErodes, alio nomine & quidem apud Prophanos frequentiori, Agrippa, Ariſtobuli filius, & Herodis Magni nepos, Claudii Cæſaris beneficio ad Judæorum Regnum evectus, cum Legis Moſaicæ eſſet ſtudioſiſſimus, in naſcentem Eccleſiam perſecutionem movens, Jacobum cognomento Majorem, fratrem Joannis gladio peremit (*b*). Acta ſunt hæc anno poſt Chriſti obitum undecimo, paulo ante Paſcha. Fertur, virum illum, qui S. Jacobum ad Judicem adduxerat, vel potius ad ipſius tortorem, admiratum animi conſtantiam, qua Apoſtolus Jeſum Chriſtum confitebatur, eaque permotum, Chriſtianum

ANNO CHRISTI 44. *Jacobus Major juſſu Herodis interficitur. Hiſpanicum illius iter.*

(*a*) Calm. in Act. XI. 30. (*b*) Act. XII. 1.

num ſe eſſe dixiſſe, ſtatimque ſententia Judicis capite damnatum. Cum ambo ad ſupplicium ducerentur, vir ille veniam a Jacobo poſtulavit. Hæſit nonnihil Apoſtolus; at deinde ſupplicem amplexatus, ait: Pax tecum (*a*). Idcirco facile hæſitavit, quod ille baptiſmate ablutus non eſſet. Sed agente Deo, brevi intellexit, cruore Martyrii aquæ vices ſuppleri. Menologium Baſilii martyrium Jacobi Cæſareæ conſtituit; ſed vero propius reputaremus, obiiſſe Hieroſolymis, ubi Agrippa Paſchatis feſtum egit, & quo ejuſdem ſolemnitatis occaſione pro Gentis more idem Apoſtolus perrexiſse creditur. Dictus fuit *Major* ad diſtinctionem alterius Jacobi *Minoris*, ſcilicet ætate, vel ſtatura. S. Jacobum virginitatem ſervaſse, crines intonſos geſtaſse, a balneis, carne, & piſcibus abſtinuiſse, unica tunica, atque lineo pallio uti conſueviſse, auctor eſt S.Epiphanius (*b*). Contendunt Hiſpani, a Jacobo Evangelii lucem in ſuas regiones delatam fuiſſe; quam opinionem convellere nituntur Baronius, Natalis Alexander, Tillemontius; quibus ſane favet Scriptorum ea de re uſque ad octavum ſæculum ſilentium. Rodericus etiam Archiepiſcopus Toletanus in Concilio Lateranenſi anno 1215. adverſus Archiepiſcopum Compoſtellanum contendit, nullo idoneo argumento probari, Jacobum in Hiſpanias unquam veniſſe; cui alter, quamvis Primatus jura ſibi vindicare in votis maxime ha-

beret,

(*a*) S.Clem.Alex.apud Euſeb. l. 2. c. 9.

(*b*) Hæreſ. 58. c. 4.

beret, nihil reſpondit. Quæ tamen utcumque ita refellerentur. Argumentum de ſilentio, cum ſit negativum, minime convincit. Imo cum multi poſt octavum ſæculum Hiſpanicum S. Jacobi iter aſſeruerint, & in Breviarium Romanum tandem inſertum fuerit, non abs re diceremus, traditionem illam ſuo fundamento non caruiſſe; quod forte ipſum Archiepiſcopum Compoſtellanum non minus ac nos latuerit. Ceterum eo decennio, quod inter S. Stephani necem, & S. Jacobi martyrium mediat, hic ſane Hiſpaniam adire potuit, & poſt Evangelium ibi prædicatum Hieroſolymam ad Martyrium redire (*a*). Verum quid quid ſit de hoc itinere, illud certe conſtat, jam inde a nono ſæculo Reliquias hujus Apoſtoli in illis regionibus ſumma religione cultas fuiſſe (*b*).

*Angelus Petrum e carcere liberat. Herodis interitus.*

II. Gratiam Judæorum etiam atque etiam ſe initurum ſperans Herodes, Petrum, qui Hieroſolymam, facile una cum Jacobo, ad ſolemnitatem paſchalem venerat, in carcerem detruſit, poſt exactum Feſtum, gratum populo ſpectaculum ejus nece exhibiturus. Sexdecim milites Apoſtolum cuſtodiebant, e quibus quaterni viciſſim excubias agebant. Duo ſemper aderant lateri illius, totidemque præ carceris foribus ſtabant. Petrus utraque manu ſingulis catenis vinciebatur, quæ & ſingulæ adnectebant ſingulos milites utrinque adſiſtentes. Infortunio, quod Apoſtolo imminebat, avertendo, Eccleſia univerſa in preces effuſa, impetravit tandem ut nocte, diem neci Apoſtoli

(*a*) Gotti de S. Jacobo Majore §. 2.

(*b*) Martyrolog. Adonis, Uſuardi, & Notkeri.

ſtoli deſtinatam præcedente, Angelus in carcerem veniret, ac Petrum dormientem excitans, ſtare juberet, diruptiſque vinculis ac patentibus ſuo imperio januis, extra carcerem deduceret. Hic relictus ſubito a Ductore Petrus, libertati redditum ſe, mediaque in Hieroſolyma extra adverſariorum manus verſari, ſenſit, cuique beneficium accepto referre deberet, intellexit. Hucuſque enim jucundo ſomniantis ſpectro illudi ſibi rebatur. Recta igitur ad Fideles in domum Mariæ matris Joannis, cognomento Marci, quo omnes ad orationem convenerant, ſe ſe contulit; quem cum januam pulſantem puella quædam nomine Rhode vocis ſono agnoviſſet, gaudio impos facta, ne recluſis quidem foribus, gratum ad domeſticos nuntium attulit. Illi inopinata audientes, puellam ſomniaſſe, aut Petri Angelum pro Petro apparuiſſe, rati ſunt. Verum cum alter ad januam inſtaret, tandem ea aperta Apoſtolum agnoverunt; certatimque omnibus illi obſequii ſignificationes exhibentibus, ne vox quidem Petri audiebatur. Quare manu ſilentium indicens, rem geſtam ordine proſecutus eſt, mandavitque ut certior de illa fieret Jacobus Hieroſolymorum Epiſcopus, qui tunc aberat, forte in latebris Agrippæ metu deliteſcens. Simul ad hæc ipſe pariter Petrus alio ſe ſe recepit, ne Deum tentaret, neve præter neceſſitatem novum diſcrimen adiret. Herodes fruſtra perquiſito Petro, cuſtodes illius duci ad ſupplicium juſſit. Cum autem pro concione populum alloquens, honores ſoli Deo debitos,

tos, ſibi impendi paſſus fuiſſet, ſtatim ab Angelo percuſſus interiit, ut alibi latius deſcripſimus (*a*). Quo autem Petrus perexerit, commoratuſque fuerit per ſeptennium, nempe uſque ad habitum anno 51. Hieroſolymæ Concilium, Scriptura ſilet. Facile tamen Romam venit.

III. Petrum Romam veniſſe, ibique Eccleſiam erexiſſe, erectæque præfuiſſe, uſque ad decimum ſextum Eccleſiæ ſæculum omnibus perſuaſum fuit. Eodem ſpectat ipſius Petri teſtimonium, quo ſe Epiſtolam primam dediſſe aſſerit Babylone, nempe Romæ, ut Veteres omnes interpretantur. *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt Babylone collecta* (*b*). Ipſe etiam Joannes in ſua Apocalypſi Babylonis nomine Urbem Romam propriis adeo characteribus deſignat, Imperio ſcilicet in omnes gentes, ſævitia in Sanctos, & ſeptem collibus, quibus inſidet, ut nemini præter ipſam convenire poſſint (*c*). Judæi declinandæ invidiæ cauſa figuratis nominibus phraſibuſque interdum utebantur. Porro Chaldæorum Babylon, in qua Judæi olim captivi fuerunt, Romæ erat figura.

*S. Petrus Romam venit.*

IV. Poſtquam recentiores hæretici de privilegiis Eccleſiæ Romanæ, deque ſummorum Pontificum, Petri ſucceſſorum, Primatu, nobiſcum certamen inierunt, an Petrus Romam venerit, ſedemque ſuam ibi conſtituerit, dubita-

*Perperam id a nonnullis negatur.*

(*a*) Act. XII. 3. Vide hanc Hiſtor. l. 10. c. 6. n. 15.

(*b*) 1. Petri v. 13.

(*c*) Apoc. XVI. 19. XVII. 6. 9. 18.

Digitized by Google

tatum eſt. Qui ſententiam negantem tuentur, Babylonis nomen, de quo in priori Petri Epiſtola, alii proprie aptant Babyloni Chaldæorum Metropoli, alii Babyloni Ægypti prope magnum Cairum. Ludovicus Capellius Babylonis nomen de Hieroſolyma explicandum mavult. Verum antiquorum auctoritati recentiorum interpretamenta officere nequeunt. Locus enim, quem verſamus, ex iis minime fuerit, quorum ſenſus, quod res intellectuales, & a lectorum pleriſque neglectas afficiat, per plura ſæcula vagus & incertus aberrat. Ut autem Petri teſtimonium pro aſſerendo ejus Romano itinere efficax non eſſet, adhuc contra adverſarios militaret omnium veterum teſtimonium; quod maximi habendum eſt, cum de facto agatur publico, cognito, celeberrimo, & quod Religionis & eccleſiaſticæ Diſciplinæ, Fideique catholicæ ſit Regula, & Fundamentum. Quæritur enim, ubi reſideat Petri auctoritas, quem Chriſtus loco ſui Fidelibus reliquit. Militaret etiam ipſius Apoſtoli ſepulcrum, ejus Martyrii locus, Templa Petri memoriam vel a primis Eccleſiæ ſæculis oſtendentia, Romani Pontificis Primatus, ceteræque ei adnexæ prærogativæ, ex illius in Urbem adventu petitæ, tot ſæculorum ſpatio Patribus & Conciliis, Scriptoribuſque omnibus aſſertæ. Grotius, Hammondus, Uſſerius, Chamier, Blondellus, Franciſcus Junius, Scaliger, Caſaubonus, aliique plures, quamvis ex Proteſtantibus, Petrum Romæ fuiſse, ultro fatentur. Quæ opponuntur, uni fere S. Lucæ,

&

& S. Pauli ſilentio innituntur. Sed quanti faciendum ſit aliquorum ſilentium, ubi ceteri loquuntur, neminem fugere deberet.

VI. Illud merito agitari poteſt, ſemel ne, aut bis, vel etiam tertio; & quo anno Petrus in Urbem venerit. Una eſt fere omnium vox, Apoſtolum ſub Claudio Romam adiiſse, ſub Nerone vero ibidem martyrium conſummaſse. Veterum etiam plures annis quinque & viginti illum Romæ Epiſcopum fuiſse, tradunt. Toto autem horum annorum ſpatio Petrum Romæ ſubſtitiſse, dicere non poſsumus: tum quia anno Claudii decimo Petrus Concilio Hieroſolymitano interfuit; tum quia Paulus eo temporis intervallo ſcribens ad Romanos, plurimos, quibus vale dicit, enumerans, de Petro altum ſervat ſilentium; non ſervaturus utique, ſi ibi deguiſset. Poſtquam igitur Petrus Romam adventavit, inde ſemel, aut etiam pluries egreſsus, in Orientem, ut forte etiam in Occidentem, iter inſtituit, ut Eccleſiæ neceſſitas, & Spiritus ſancti ductus poſtulaſſet.

*Quoties & quando Petrus Romam venerit?*

VII. Nonnulli igitur ita Petri itinera digerunt. Anno Æræ Vulgaris 38. Eccleſiam Antiochenam fundavit, elapſoque pene ſeptennio in peragrandis variis Aſiæ provinciis, Hieroſolymam anno 44. rediit; cumque ab Herode in carcerem conjectus fuiſſet, & ab Angelo liberatus, eodem anno, qui erat Claudii ſecundus, Romam primum ſe contulit, factiſque inde variis excurſibus, eodem tandem ſub Nerone regreſſus eſt, anno circiter antequam

*S. Petri itinera.*

martyrium ſubiret. Alii putant, Petrum ter Romam petiiſſe; primo ante carcerem Herodianum anno 42. qui eſt Caji quartus; deinde poſt carcerem anno 44. Claudii ſecundo; ultimo ſub Nerone. Quin ſub Nerone Petrum bis Romam rediiſſe, quidam autumant, ſemel ſcilicet circa annum 58. ſine Paulo; iterum vero cum Paulo anno ſuæ vitæ extremo (*a*). Porro annus Petri ultimus ex plurium placito eſt Chriſti *66.* vel *68.* Si autem ab anno 38. quo forte Eccleſiam Antiochenam Petrus fundavit, uſque ad annum *68.* quo obiit, minime invenias geminas illas periodos, annorum ſcilicet ſeptem, & annorum viginti quinque, quarum altera præfuit Eccleſiæ Antiochenæ, altera Eccleſiæ Romanæ, dicere poteris, annos illos non fuiſſe completos, vel Petrum non ſtatim ac Romam venit, Eccleſiam Antiochenam dimiſiſſe.

*Prima S. Petri Epiſtola.*

VIII. Petrus prima ſua Epiſtola Fideles ex Circumciſione potiſſimum alloquitur, eoſque hortatur ut a Chriſto non diſcedant, quamvis perſecutione tentati, oſtenditque ſe a Paulo non diſcrepare, cum dogmatum conſenſu, tum erroribus Simonis & Nicolaitarum, qui Fidem ſine operibus ad ſalutem ſufficere dictitabant, refellendis. De eorum Vocationis felicitate, & de bonis, quæ per Baptiſmum conſequuti ſunt, ſæpe loquitur: Eccleſiæ Præſules, conjuges, ſervos præclare inſtruit: denique erga Principes a Deo conſtitutos obedientiam

(*a*) Gotti de Petro Hiſt. l. 16. c. 2. n. 14. §. 13. & 14. Vide hanc

tiam commendat. Hanc Epiſtolam hebraice a Petro ſcriptam, græce vero a Marco verſam, Baronius tenet. Sed hæc incerta omnino ſunt. Styli ſane ſublimitate, & ſententiarum granditate, majeſtatem refert, haud Apoſtolorum Principe indignam.

*Apoſtoli antequam in Mundum universum abeant, Symbolũ condunt.*

IX. Eodem facile tempore, quo Petrus Hieroſolyma diſceſſit, anno ſcilicet Chriſti 44. ceteri quoque Apoſtoli in Mundum univerſum abierunt, præcepto, quo Chriſtus illos obſtrinxerat (*a*), obſequuturi. Cui opinioni favet traditio ab Apollonio relata, Chriſtum ſcilicet *Apoſtolis ſuis præcepiſſe, ne intra duodecim annos Hieroſolymis excederent* (*b*). Alii tamen hanc Apoſtolorum ab invicem ſeceſſionem ante annum Chriſti 37. alligant; quo S. Paulus Hieroſolymam veniens, neminem Apoſtolorum vidit, niſi Petrum & Jacobum (*c*). An autem ſortito, vel Dei inſtinctu, ſive communi conſilio, ſingulis provinciæ, ubi Evangelium prædicarent, obtigerint, omnino latet. Ad Petrum quod ſpectat, nedum Antiochia, Syriæ Regni ſedes, ſed & Roma, totius Orbis Caput, ipſi tamquam Apoſtolorum Principi, æquum ſane erat ut contingeret. Quamquam veniendi Romam Apoſtolo potiſſimum in cauſa fuiſſe narrent, ut ſcilicet Simonem Magum, multos ſuis præſtigiis ibi dementantem, retunderet. Traditione autem receptum fert Rufinus (*d*), Apoſtolos, cum mutuo inter ſe divelli prædicandi cauſa cogitarent, in



(*a*) Marc. xvi. 15.
(*b*) Euſeb.
(*c*) Galat. 1.
(*d*) De Symb.

cœtum coactos, & Spiritu ſancto repletos, Symbolum condidiſſe, ceu normam prædicationis, baptizandorum catecheſim, & Fidelium teſſeram; quam quidem traditionem ſuo teſtimonio fulciunt Leo Magnus, Innocentius I. Iſidorus, Venantius Fortunatus, aliique complures, nemine ex Antiquis diſcrepante; ut temerarii omnino ſint Recentiores illi, qui docent, Symbolum idcirco dici Apoſtolicum, quod collectum fuerit ex doctrina ab Apoſtolis tradita, non vero quod ab Apoſtolis quoque ſit conditum atque digeſtum (*a*). Urgent quidem S. Lucæ de Symbolo ſilentium; ſed S. Lucæ ſilentium impar eſt, ut aliorum Scriptorum auctoritati obſiſtat. Placet nonnullis ſingulos articulos ſingulis Apoſtolis aſſignare. Sed probabiliora docent alii, Apoſtolos ſcilicet condidiſſe hoc Symbolum in commune conſulentes, ea ratione qua Canones in Conciliis ab Epiſcopis conduntur. Cum autem Apoſtoli Symbolum tradiderint, non ut ſcriberetur, ſed ut audiendo perdiſceretur, ideo in Canonem divinarum Scripturarum non eſt receptum; eaque de cauſa non idem ubique obtinuit, nonnullis additis, detractis, immutatis, ſalva tamen ſemper doctrinæ ſubſtantia, prout ſubnaſcentes errores poſtulabant (*b*).

*Paulus & Barnabas ad Gentes mittuntur.*

X. Saulus & Barnabas Hieroſolyma, quo deferendis eleemoſynis, facile ad idem illud Paſchatis Feſtum, quo Petrus carceri mancipatus fue-

(*a*) Valla, Eraſmus, Brentius, Calvin. Dupin. Baſnag.

(*b*) Vide Berti l. 22. Voſſ. c. 6. de Theolog. Diſcipl. & Calm. v. *Symbolum*.

fuerat, convenerant, digreſſi, Joannem, alio nomine Marcum, Barnabæ conſobrinum, Antiochiam adduxerunt (*a*). Antiochiæ autem, præter Saulum & Barnabam, inter Prophetas & Doctores computabantur Simon Niger, Lucius Cyrenenſis, & Manahen, Herodis Tetarchæ collactaneus; quibus Domino *miniſtrantibus*, hoc eſt, ut plures interpretantur, Sacrificium offerentibus, vox Spiritus ſancti audita eſt, qua Saulus & Barnabas ad prædicandum Gentilibus Evangelium ſeparari jubebantur. Quare præmiſſis ab Eccleſia jejuniis & orationibus, Simon Lucius, & Manahen utrique manus impoſuere. Porro hæc manum impoſitio non alia reputatur, quam ea quæ Epiſcopatum confert; præſentemque hunc ritum Eccleſia ſibi in exemplum propoſuit ceterorum, qui deinceps in Epiſcopis initiandis ſervati ſunt. Ordini enim huic miniſtrando, accipiendoque jejunium & oratio præmittuntut; idemque Ordo nonniſi in Sacrificii oblatione, & a tribus Epiſcopis confertur. Nonnullis tamen ſedet opinio, Paulum & Barnabam antea Epiſcopatu ornatos fuiſſe; nunc vero deſtinatos tantum fuiſſe ad prædicandum Gentilibus Evangelium (*b*).

*Bar-Jeſus Magus Paulo reſiſtit, ſed non impune. Sergius Paulus Proconſul convertitur. Nomē Saulus in Paulum.*

XI. Paulus & Barnabas Antiochia diſcedentes, Seleuciam, Urbem Syriæ ad Mediterraneum, venerunt; hinc ſolventes in Inſulam Cypri, unde Barnabas originem trahebat, proceſſere, quam totam, a Salamina uſque Pa-

 phum,

(*a*) Act. XII. 25. XIII. 1. Suarez t. 3. in 3. p. d. 74.
(*b*) Cajet. Arias, Eſt. q. 1.

phum, Chriſtum in Synagogis annuntiantes, excurrerunt. In rebus autem corpori neceſſariis Joannis Marci miniſterio utebantur, quo commodius & ſecurius Evangelii prædicationi vacarent. Porro Sergius Paulus Proconſul, qui Cypri Præfecturam ſapienter adminiſtrabat, audita Sauli & Barnabæ fama, ut ad ſe venirent, verbum Dei prædicaturi, invitavit. Sed quidam Judæus, nomine Bar-Jeſu, qui & Elymas, id eſt Magus, lateribus Proconſulis adſiſtens, pro viribus illum a ſuſcipienda Fide abſterrebat; quem proinde Paulus objurgans, callidum, fallacem, Diaboli filium, atque viarum Domini perverſorem appellavit, ſimulque prædixit, cæcitate ad tempus mulctandum. Nec mora; oculis captus, ductorem quæſivit; quo viſo prodigio, Proconſul Fidei manus dedit (*a*): S. Lucas hactenus Apoſtolum Saulum appellavit; deinceps vero per totam hiſtoriam numquam non Paulum nuncupat. Hinc viſum multis, aſſumptum ab illo Pauli nomen ex converſo ad Fidem Sergio Paulo, Cypri Proconſule, ſive Præfecto. Tanti enim momenti, inquiunt, rem illam cenſuit, ut perpetuam ejus memoriam, retento viri nomine, ſervandam duxerit; ita propemodum uti olim Romanorum Imperatores ſubactarum a ſe Provinciarum nomina ſibi arrogantes, dicebantur, *Africanus*, *Germanicus*, *Creticus* &c. Alii, ipſum Sergium Paulum nomen ſuum Apoſtolo indidiſſe, amoris & gratitudinis argumentum, malunt. Tenent tandem nonnulli, ve-

tus

(*a*). Act. XIII. 6.

tus Hebræum Sauli nomen in novam Latinamque Pauli appellationem transformatum tunc fuiſſe cum primum Gentibus, præſerrim Romanis, idem prædicaſſet; quæ quidem opinio præ ceteris probanda videtur.

XI. Ex Cypro Paulus & ſocii ſolventes, Pergen Pamphiliæ venerunt, unde Joannes Marcus, laboribus facile periculiſque feſſus, Jeroſolymam ſe ſe reſtituit. Illi vero recta Antiochiam Piſidiæ ſe conferentes, die Sabbati Synagogam de more adierunt. Cum aliquid ex Lege, & Prophetis lectum fuiſſet, Synagogæ Princeps illos ex urbanitate, ut verba ad plebem facerent, invitavit. Paulus, quo animos audientium ad ſe attraheret, a Dei bonitate exordiens, quot, quantaque Iſraelitis præſtiterit, oſtendit. Deus, inquit, Patres noſtros, non ſine ingenti prodigiorum numero, eduxit ex Ægypto, per quadraginta annos ſuſtinuit eos in deſerto, deſtructiſque variis gentibus terram Chanaan illis tradidit, cujus poſſidendæ ſpem ante annos 450. Abrahamo fecerat (*a*). Voluit deinde ut Reſpublica per Judices adminiſtraretur uſque ad Samuelem; ad preces autem populi Regem dedit Saul, & David. Cum vero de David mentionem feciſſet Paulus, in mentem eis revocavit promiſſiones de Salvatore Iſraelis ex illius ſtirpe naſcituro, oſtenditque, has promiſſiones adimpletas in Chri-

*Paulus Antiochiæ Piſidiæ prædicat.*

E 4

(*a*) Promiſſio conſignatur ad annum Iſaaci natalem 2108., & ingreſſus in Canaanitidem ad annum 2553. Quinque anni, qui deſunt, inſumi potuere in Terræ diviſione.

Chriſto fuiſſe, laudato in eam rem Joannis Baptiſtæ, qui per omnium ora volitabat, teſtimonio, cum ad turbas diceret: Quem me eſſe putatis? Non ſum ego Meſſias; ſed alius poſt me veniet, ſpem veſtram expectationemque impleturus, cujus lorum calcei ſolvere indignum me profiteor. Qui ſimul digito intento indicavit illum, de quo verba faciebat (*a*). Nos, adjecit Paulus, Evangelium annuntiamus, ut ſalutis ab ipſo comparatæ participes efficiamini. Fratres noſtri, qui Hieroſolymæ verſabantur, Gentiſque Principes, non agnoſcentes, ipſum eſſe Meſſiam, nec ſatis Prophetarum Oracula, quæ ſingulis quibuſque Sabbatis in Synagogis leguntur, aſſequuti, Chriſtum damnarunt, imprudenteſque eadem vaticinia, quæ de illius progreſſionibus & morte luculentiſſime loquuntur, implevere. Verum ille Dei virtute in vitam reſtitutus, videndum ſe illis præbuit qui una cum eo ad Feſtum Paſchatis è Galilæa Jeroſolymam venerant. Teſtes igitur habemus plurimos, vivos adhuc, ſpiranteſque. Fides jam ſoluta eſt, quæ de Meſſiæ reſurrectione obſtricta fuerat in Pſalmo ſecundo (*b*): *Filius meus es tu; ego hodie genui te*: & alibi: *Non dabis Sanctum ſuum videre corruptionem* (*c*). Dies, qua Reges Orientales Principatum adiverant, perinde an dies natalis celebrabatur (*d*). Porro Jeſu Chriſti reſurre-

(*a*) Act. XIII. 25. Joan. I. 27. VII. 18. Matth. III. 11. Marc. I. 7. Luc. III. 16. (*b*) Nonnulli legunt, *primo*. (*c*) Pſ. XV. 10. (*d*) Heinſ. exercit. ſacr. p. 48.

rectio, ceu dies, qua Regnum humana ejus natura cum divina conjuncta adepta eſt, reputatur; quare dies natalis ejus haud immerito ab Apoſtolo dicitur. Jure pariter merito altera Prophetia laudata eſt a Paulo pro adſtruenda Chriſti reſurrectione. Cui enim alteri congrueret? Quis hominum poſt mortem corruptioni obnoxius non fuit? Neque ipſe David, quamvis ſanctiſſimus, immunem ſe ab illa ſenſit. Tandem Paulus ſermonem ſuum clauſit, nuntians futurum ut increduli, juxta Prophetarum oracula, diſperdantur (*a*).

*Paulus & Barnabas relictis Judæis ad Gentiles convertũtur.*

XII. Principes Synagogæ, totuſque cœtus verba Pauli adeo probavere, ut, proximo Sabbato redire, & iterum loqui, ipſum rogaverint. Neque his contenti plures ex Judæis & Proſelytis Paulum & Barnabam ſequuti ſunt; quos illi hortabantur, ut in ea quam acceperant, doctrina evangelica perſeverarent. Sequenti igitur Sabbato magnus undique in Synagogam ad audiendum verbum Dei concurſus factus eſt. Hæc porro ceterorum Judæorum invidiam excitarunt; quare Jeſum eſſe Meſſiam pertinaciter negabant, deceptorumque nota Apoſtolos traducebant. Tunc Paulus & Barnabas: Nos quidem, dixerunt, implevimus, quod nobis injunctum fuerat, primo veniendi ad vos; ſed quia hac gratia vos indignos judicatis, animoſque adverſus monita ſalutis obfirmatis, idcirco ad Gentes convertimur, alteri Domini præcepto obſequuti, qui per Iſaiam ait: *Poſui te in lucem Gentium, ut*

(*a*) Habac. 1. 5.

*ut ſis in ſalutem uſque ad extremum Terræ* (*a*). His verbis Gentilium gaudium auctum eſt, *crediderūntque quotquot erant præordinati ad vitam æternam* (*b*); quod alii de prædeſtinatione ad Gloriam, alii ad Gratiam, alii ad Fidem, interpretantur. Contra vero Judæorum vulnus recruduit. Hinc excitatis nonnullis honeſtis matronis, primoribuſque civitatis, qui inter Proſelytos nomen dederant, ut Apoſtoli ex Urbe pellerentur, conſequuti ſunt. Faceſſentes ambo, excuſſerunt e pedibus pulverem, indicantes, e terra illa, ceu impura pollutaque, ſe fugere; atque ita Iconium, Lycaoniæ Urbem, venere.

*Paulus & Barnabas Iconii prædicant. S. Theclæ cōverſio.*

XIII. In Synagoga Iconii Chriſtum annuntiantes, pluribus ex Judæis, & Græcis, ſive Gentilibus perſuaſerunt. Ceteri tamen ex utraque gente, qui increduli permanſerant, Apoſtolos impoſtores rati, divexare cœperunt. At illis inſectationbus, moleſtiiſque inſuper habitis, diu ibi ſubſtitere, qua verbis, qua prodigiis, ſedulam Chriſto navantes operam. Facile hoc temporis ſpatio S. Thecla, cujus celebre eſt in Eccleſia nomen, Fidem ſuſcepit. Videntes demum Apoſtoli, incredulorum Judæorum opera etiam Magiſtratum Gentilium in ſuam necem miſceri, ſibique nimbum injuriarum & lapidum imminere, ne temere Deum tentare viderentur, ſi Iconii diutius ſubſiſterent, Lyſtras, & Derben, ejuſdem provinciæ Lycaoniæ urbes confugerunt, urbes illas, univerſamque late circa regionem prædicationibus implentes.

XIV.

(*a*) Iſa. XLIX. 6. (*b*) Act. XIII. 48.

XIV. Æneas quidam, pedibus e nativitate impeditus, Lyſtris agebat, qui ad audiendum Paulum ſe contulit. Hunc intuitus Apoſtolus, cognovit ſpe obtinendæ valetudinis illectum eo veniſſe. Quare elata voce: *Surge*, ait, *ſuper pedes tuos rectus*. Nec mora; claudus ſaltare cœpit, & ambulare. Populus ſubitum prodigium demiratus, numina eſſe ſub hominum forma, Barnabam nempe Jovem, facile ex habitu oris ad majeſtatem compoſito, Paulum vero Mercurium, quod eloquio ſcientiaque polleret, ſuſpicati ſunt. Narrat Ovidius, Jovem, cum olim ſe in Lycaonia videndum præbuiſſet, gentis Regem in lupum convertiſſe, quod, an revera eſſet Jupiter, dubitaſſet, paraviſsetque ei in cibum, experimentum capturus, carnes humanas (*a*). Lyſtrenſes forte hujus rei memoriam ſervantes, deos inter ſe habere cenſuerunt. Ceterum incredibile non eſt, dæmones interdum ſub hominum aſpectu, aſſumptoque inani aliquo ſpectro, apparuiſſe, quo nimis creduli obvios habere ſe deos putarent. In hanc igitur perſuaſionem adducti Lyſtrenſes, actutum Sacerdotem Jovis, qui erat prope civitatem, invitarunt, ut victimas Paulo & Barnabæ mactaret; qui ſtatim tauros adduxit, attulitque coronas, quibus ornarentur ſive Apoſtoli, ſive victimæ, ſive ipſe ſacrificulus, ſive tandem fores ædium, quas hoſpites incolebant. Paulus & Barnabas re animadverſa veſtes primum conſciderunt; multitudinem deinde increpantes: Quid agitis? dixerunt: avertat ab hac

*Paulus Claudum ſanat; cui, ſocioque Barnabæ Gentiles ſacrificare parant.*

(*a*) Metamorph. l. 1.

hac mente nos Deus, ut accipiamus honores quos uni Cæli terræque conditori deberi docemus. Suo quidem arbitrio Deus hactenus permiſit Gentiles, nullo Propheta, nulliſque Scripturis inſtructos. Sed numquid idcirco excuſationem pertexere poſſunt, ſi aliis, quam ipſi, ſupremum ſacrificiorum cultum impendant? Nonne, pluviis, frugibuſque pro tempore conceſſis, ſubminiſtratoque ad delicias uſque cibo, potuque, beneficum ſe eſſe e Cælo Numen jugiter oſtendit? His tandem Apoſtoli, ut ab inceptis illi abſiſterent, ægre licet, impetrarunt (*a*).

ANNO CHRISTI 45. *Paulus lapidibus appetitus relictis Lyſtris Antiochiam redit.*

XV. Secundum hæc, Antiochia Piſidiæ, & Iconio nonnulli Judæi Lyſtras venientes, populum in viros adeo concitarunt, ut lapidibus Paulum appetitum, extra urbem, rati jam obiiſſe, raptarint. Ope tamen Diſcipulorum ſe ſe recipiens, civitatemque iterum ingreſſus, poſtera die una cum Barnaba profectus eſt Derben. Poſt ennuntiatum denuo in ea urbe Evangelium, Lyſtras ſimiliter, Iconium, & Antiochiam Piſidiæ impavide, nulloque præteritorum malorum timore retardati, repetentes, Diſcipulorum Fidem verbo & exemplo confirmabant, oſtendentes, *per multas tribulationes oportere nos intrare in Regnum Dei*. Cum autem ſe alio appellari arcana Spiritus ſancti voce ſentirent, nec per ſe curæ illarum Eccleſiarum incumbere poſſent, Presbyteros, hoc eſt Epiſcopos, ut omnes interpretantur, adhibitis precibus & jejuniis, novis Fidelibus con-

(*a*) Act. XIV.

conſtituerunt. Tranſgreſſa autem Piſidia, Pergen Pamphyliæ adierunt, ex qua, poſt prædicatum Dei verbum, Ataliam, ejuſdem provinciæ portum, venere. Inde maritimo itinere Antiochiam Syriæ, unde diſceſſerant, remearunt. Pauli & Barnabæ adventu intellecto Fideles omnes in cœtum convenientes illos ſuorum eventuum ſeriem narrantes audierunt, ſimulque de aditu ad Fidem Ethnicis recluſo lætati ſunt. In ea urbe diutius ſubſtiterunt (*a*). Quantum autem temporis, quidve egerint, ignoratur, S. Luca ea omnia ſilente, quæ ab anno 45. ſive 46. uſque ad annum 51. quo celebratum eſt Hieroſolymitanum Concilium, contigere. Facile eo temporis ſpatio Paulus Evangelium in vicinas Antiochiæ provincias, uſque ad Illyricum, circumtulit (*b*).

*S. Pauli labores & pericula. Quid profundum maris, in quo verſatus eſt?*

XVI. Conſtat utique, apud S. Lucam plura deliteſcere eorum quæ ad res geſtas, & itinera S. Pauli pertinere ſcimus. Idem Apoſtolus ad Corinthios ſcribens (*c*), plura ſe, quam mortalium quemlibet, exantlaſſe mala, vulnera ſubiiſſe, carceres ſæpius toleraſſe, gloriatur. Sæpe de vita, modo inter fluminum vortices, modo inter prædonum manus, modo apud Judæos, modo apud falſos fratres, periclitatus eſt. In fame, ſiti, nuditate, frigore, jejuniis, vigiliis, laboribus perferendis nullus fuit modus. In itineribus, quæ plura inſtituit, alia utebatur diſciplina, quam ii qui ex Evangelii prædicatione vitam tolerabant, vi-

(*a*) Act. XIV. 27. Hieron. Epiſt. 148.
(*b*) Rom. XV. 19. S. (*c*) 2. Cor. XI. 13.

victu ab illis accepto, quos Fide imbuebant. Illorum etiam erat mos, pias feminas, neceſſaria miniſtrantes, comites ſibi adhibere; quod Paulus refugit. Sibi enim Evangelium gratis miniſtrandum exiſtimans, vitam, ne cui gravis eſſet, tentoriis conficiendis, traducebat (*a*). Quinquies a Judæis undequadraginta flagrorum ictibus, bis vero a Romanis virgis cæſus fuit, naufragium ter fecit, ac die nocteque in *profundo maris* verſatus eſt; quæ quidem verba alii aliter interpretantur. Sunt enim qui integra die demerſum perſtitiſſe, ac divino prodigio, ut olim Jonas in ventre ceti, ſervatum credant (*b*). Alii putant, in imo putei latuiſſe, ut imminens aliquod periculum evitaret. Alii hic vident Carcerem Cyzicenum, cui nomen *Bithos*, ſive *Profundum*, ubi Paulus detentus fuerit. Communis tamen ſententia fert, Paulum adeo cum undis nocte & die luctatum, ut in profundum maris dejici videretur. Hæc quidem omnia Apoſtolo accidiſſe debuerunt ante annum 58. quo alteram ad Corinthios epiſtolam ſcripſit, non tamen ſaltem omnia paſſum illum diceremus eo medio tempore, quod a reditu Antiochiam uſque ad adventum Hieroſolymam occaſione Concilii anno 51. celebrati interfluxit.

*Le-*

(*a*) Act. XVIII. 3. Sulp. Sever.
(*b*) S. Hilar. S. Thom.

*Legalium cauſa in Concilio Hieroſolymitano definitur. Concilii Decretum diſcutitur. Paulus arguit Cepham non alium a Petro. Hieronymi & Auguſtini variæ de ea re opiniones. Legalia non ſimul mortua & mortifera. Pauli doctrina Apoſtolis probatur. De Joanne Marco inter Paulum & Barnabam diſſidium. Paulus Timotheum circumcidit, Dei juſſu in Macedoniam proficiſcitur, expulſo ex Pythoniſſa Dæmone in carcerem truditur, liber abire permittitur. Unde Paulo jus Romanæ Civitatis?*

## CAP. VIII.

ANNO CHRISTI 51.

*Concilium in cauſa Legalium cogitur. Petrus rem definit.*

I. CReſcente in dies Eccleſia, maxime ex Gentilium numero, Judæi ad Fidem converſi ferre iniquius cœperunt, non quidem illorum converſionem, ſed quod illi Circumciſione non initiarentur, nec aliis Legis ritibus ſubderentur. Mentem ſuam hac de re perſpicue non explicaverat Chriſtus, ac diu ſuſpenſi hæſerant ipſimet Apoſtoli, utrum Ethnicos incircumciſos, quamquam moribus probos, & Deum timentes, ad Baptiſmum admitterent? Verſantibus igitur Antiochia Paulo & Barnaba, nonnulli ex Judæa ſupervenientes, ſpargebant in vulgus, Circumciſionem, & cetera Legalia prorſus ad ſalutem eſſe neceſſaria. Ex Cerinthi ſecta dogmata illa derivata fuiſſe, SS. Epiphanius & Philaſtrius ſcripſerunt (*a*). Perniciosis hiſce doctrinis, quæ Ethnico-

rum

(*a*) Epiphan. hæreſ. 28. Philaſtr. hæreſ. 36.

rum converſioni quammaxime obſiſtebant, Paulo & Barnaba ſe ſe pro viribus opponentibus, Apoſtolos, & Sacerdotes, Hieroſoymæ degentes, conſulere viſum eſt. Eo igitur miſſi ſunt viri ex utraque parte delecti; quos inter Paulus, & Barnabas, unaque Titus, quem ab avito Idolorum cultu Paulus revocaverat, & ſocium ſibi aſſumpſerat, eminebant (*a*): neque enim Paulus, quamvis tanta ſignorum & doctrinæ excellentia polleret, litem hanc per ſe ſe dirimere cenſuit; quin Domini juſſu iter illud ſe ſuſcepiſſe teſtatus eſt (*b*). Ea occaſione Paulus & Barnabas tranſeuntes per Phænieiam & Samariam, magno gaudio affecerunt Fideles, Gentium converſionem eis narrantes. Cum Hieroſolymam veniſſent, invenerunt, eaſdem ibi gliſcere contentiones, quæ Antiochiæ fervebant, Fidelibus ex Phariſæorum Secta Legi potiſſimum faventibus. Quin nonnulli ad Circumciſionem adigere volebant ipſum Titum, Pauli ſocium; verum uterque diſſenſit, ne in ea controverſia cedere viderentur. Paulus igitur primum pro concione ſuam ſententiam expoſuit; deinde vero privatis colloquiis coram Tito & Barnaba contulit cum Apoſtolis, ceteriſque, qui primas in ea Eccleſia tenebant; tandem viſum eſt, Concilium ad rem maturius expendendam cogere. Coacto igitur Concilio, expenſiſque ibi utriuſque partis momentis, Petrus totius cœtus Princeps ſurrexit, alludenſque ad Cornelii, ejuſque domeſticorum converſionem, declaravit,

ſe

(*a*) Act. xv. 1. 2. (*b*) Galat. II. 2.

ſe olim a Deo electum fuiſſe, ut per os ſuum Gentiles audirent Verbum Dei, & crederent. Deus, adjecit, qui non exteriorem ſpeciem, ut falli poſſit, ſed intima cordis intuetur, teſtimonio ſuo Gentilibus favit, noſtrumque prævertens judicium, illis, licet incircumciſis, minimeque coactis colla Legalibus ſubdere, perinde ac nobis, Spiritum ſanctum largitus eſt, illorumque animos per Fidem, non per Moſaicorum rituum exercitium, ſanctificavit. Ut quid nova documenta voluntatis ejus exquiritis? An, cum Deus Gentiles hoc jugo, quod vix ferri poteſt, eximendos cenſuerit, eo vos prægravare tentabitis? Per gratiam Jeſu Chriſti ſalus nobis æque ac illis ſperanda eſt. Tacuit ad hæc omnis multitudo, in Petri ſententiam concedens (*a*). Paulus tamen & Barnabas iis quæ Petrus dixerat, teſtimonium ſuum addentes, prodigia quæ Deus pro Gentilibus patraverat, exponebant.

*Jacobus Petri ſententiam munit.*

II. Cum omnes omnino ſiluiſſent, excipiens Jacobus Hieroſolymorum Epiſcopus, eamdem ſententiam confirmaturus: Deum, ait, ex iis quæ Simon mox narravit, benigno oculo Gentiles reſpicere, ut ex illis populum nomini ſuo devotum augeat, compertum eſt; quod unum argumentum ſatis eſt ad cauſam illis adjudicandam. Sed & alterum æque validum, ex Prophetarum oraculis petitum in promptu eſt. Legimus enim: *Poſt hæc reædificabo Tabernaculum David, ut requirant ceteri hominum Dominum, & omnes Gentes, ſuper quas invoca-*



(*a*) S. Hieron. Epiſt. 89. modo 74. ad Auguſt.

*tum eſt nomen meum* (*a*). Porro hæc nequaquam conſilium Dei mutatum, aut illum inconſtantiæ arguunt; ſemper enim voluit quod hodie tandem executioni mandat (*b*). *Propter quod ego judico, non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum; ſed ſcribere ad eos, ut abſtineant ſe a contaminationibus ſimulacrorum, a fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine*. Nec Judæi, ſtudio Legis addicti, querantur, deleri Moyſem, ejuſque ſanctiones aboleri: Moyſes, enim, & Lex ſingulis Sabbatis leguntur, leganturque, ceu Libri moribus componendis eximii, excitandæque Fidei utiliſſimi.

*Concilii decretum Antiochiā defertur.* III. Secundum hæc, ex communi Concilii ſuffragio delecti ſunt Judas cognomento Barſabas, & Sila, ut una cum Paulo & Barnaba Antiochiam, ubi controverſia magis agitabatur, irent, deferrentque decretum, cujus ſumma: *Apoſtoli & Seniores fratres his qui ſunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex Gentibus ſalutem. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine & ſuffocato, & fornicatione; a quibus cuſtodientes vos, bene agetis. Valete*. Cum Gentiles neophyti ſynodicam illam Epiſtolam accepiſſent, ſummo affecti ſunt gaudio, libertate, quam Chriſtus pepererat, potiti.

*Nonnullæ quæſtiones.* IV. Quæritur, utrum Apoſtoli omnes Concilio huic interfuerint? Alii affirmant; agebatur

(*a*) Amos IX. II. (*b*) Calm. in Act. XV. 18.

tur enim, ajunt, de re graviſſima, & totius Chriſtianæ Fidei fundamento. Alii vero nullum admittunt, præter Petrum, Jacobum, Joannem, Paulum, & Barnabam, quos adfuiſſe, Scriptura teſtatur (*a*). Ethnicorum ſacrificiis ſua plerumque erant convivia, e cibis immolatarum victimarum parata. Porro conviviis hiſce adeſſe, & his carnibus veſci, aperta erat ſacrificii prophani communio. Hinc Apoſtoli immolata vetare cenſuerunt. Succeſſu tamen temporis, ubi conſcientia non repugnaſſet, remotumque eſſet ſcandalum, permiſſa fuere (*b*). Ex Judæis Ethniciſque plures ſimplicem fornicationem naturali lege vetari negabant, alii veritatem aſſequuti, aſſerebant. Ad tollenda iſta diſſidia, ne mentes hærerent ſuſpenſæ, e re eſſe judicavit Concilium, decretum hoc edere, cautione Legis Moſaicæ hac in re probata, confirmataque (*c*). Fornicationis nomine alii intelligunt idololatriam, alii connubia in gradibus a Lege prohibitis, alii oblationes Deo factas ex mercede proſtitutionis, alii tandem concubinatum (*d*). Sed recedendum non eſt a conſueta fornicationis intelligentia. Sanguinis crudi, coctique, ac dapum cruore non exhauſtarum uſus, nedum Moſaicæ, ſed & Noemicæ Legis interdicto prohibebantur (*e*). Id ergo moris, qui apud Judæos



(*a*) Act. xv. Gal. II.

(*b*) I. Cor. VIII. 8. & x. 25.

(*c*) Deut. XXIII. 17. 16. Exod. XXII.

(*d*) Vide Calm. hic.

(*e*) Gen. IX. 4. Levit. III. 17. VII. 26. Deut. XII.

dæos inter primos computabatur, ut vel ad Gentiles converſos extenderetur, ſanxerunt Apoſtoli, quo Judæi illos tanquam Legis antiquiſſimæ, & quaſi naturalis prævaricatores non abominarentur. Porro ſanctio iſta uſque ad ſæculum Eccleſiæ decimum & undecimum alicubi obtinuit; nec hodie pariter apud Græcos ſchiſmaticos ceſſavit (*a*). De anno tandem quo celebratum eſt Concilium, minime convenit. Ejus quidem epocham omnes, ſi P. Berti excipias, repetunt ex Epiſtola ad Galatas, ubi Paulus *quatuordecim poſt annis* Hieroſolymam ſe contuliſſe, profitetur (*b*). Sed initium hujus periodi alii ducendum putant a converſione Pauli; alii a poſtremo itinere, quod tertio poſt converſionem anno illuc Apoſtolus obivit (*c*), id quod nobis probatur poſt Hieronymum, aliosque doctiſſimos Chronologos (*d*). Porro Paulus nomen Chriſto dedit biennio circiter poſt illius mortem, anno ſcilicet 35. His ſi addas annos 17. pro duplici ejuſdem Hieroſolymitano itinere, ad annum 51. pervenies.

*Petrus a Paulo arguitur.*

V. Poſt allatam Antiochiam Concilii Synodicam Paulus & Barnabas non ſtatim diſceſſere, licet quamdiu ibi ſubſtiterint, definiri non poſſit. Hoc temporis intervallo facile Petrus a Paulo reprehenſus fuit (*e*). Cum Cephas diſſoluto Concilio Hieroſolymitano inviſendis fratribus Antiochiam ſe contuliſſet, inita

(*a*) Vide Calm. in Act. xv. 20. & hanc Hiſtor. l. 1. c. 10. n. 2.

(*b*) Gal. II. 1.

(*c*) Ibid. 1. 18.

(*d*) Uſſer. Tillemon. note 17. ſur S. Paul.

(*e*) Galat. II. 1.

ta cum Fidelibus ex Gentilibus ad Chriſtum converſis conſuetudine, menſam cum illis communem habebat, diſcrimine mundorum & immundorum penitus neglecto. Cum vero poſt dies aliquot, nonnulli Judæorum, qui una cum Evangelio Moyſis Legem adhuc ſervabant, Hieroſolyma, ubi Jacobus Epiſcopum agebat, ſuperveniſſent, Cephas illorum invidiam declinaturus, ſegregare ſe cœpit a conſortio & menſa Gentilium; quo quidem facto imbecillioribus de neceſſitate Legis ſervandæ ſuſpicionem ingerebat. Et quidem ceteri Judæi ad Fidem converſi Cephæ exemplum ſequebantur; quin ceterorum mos Barnabam ipſum ſecum traxit. Hæc videns Paulus Cepham objurgavit, reſtititque illi coram omnibus, demonſtrans, illum exemplo ſuo cogere Gentiles, ut vitam ad normam Judaicæ Legis inſtituerent.

*P. Harduinus Cepham a Petro diſtinguens confutatur.*

VI. Porphyrius, aliique Chriſtiani nominis hoſtes, geminos illos noſtræ Religionis Principes accuſabant, alterum quidem erroris, alterum autem audaciæ, noſtram denique Religionem nimiæ credulitatis, & impoſturæ; quorum ora ut obſtruerent veteres Patres, alii alio abierunt. Nonnullis igitur, raris tamen, quibus noſtro ævo acceſſit Harduinus, diſtinguendum ſuccurrit inter Petrum Principem Apoſtolorum & Cepham, quem Paulus redarguit; eumque inter Diſcipulorum cenſum conſtituerunt. Si Paulus, inquiunt, Petrum reprehendit, dicere deberemus, Principem hunc Apoſtolorum in hæreſim incidiſſe; docuiſſet

enim contraria omnia iis quæ in Concilio Hieroſolymitano, ſe præſente, ſancita fuerant. Tanto autem Apoſtolo quis talia objiciat? Quis pariter credat, Paulum auſum fuiſſe in faciem Cephæ reſiſtere, ſi is Petrus fuiſſet, Vicarius ſcilicet Chriſti, & Eccleſiæ Caput? Hæc pro illa ſententia, quam tamen rejicimus, memores Chriſti verborum: *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (*a*). Quin Paulus ipſe Principem Apoſtolorum modo Patrum, modo Cepham appellat (*b*). Pauciſſimis vero illis, qui adverſantur, omnium fere Petrum, & Interpretum vocem & conſenſum opponimus. Ad hæc, adeo Petrum eumdem eſſe cum Cepha conſtabat, ut Codices Græci eo loci, qui nobis objicitur, non Cepham, ſed Petrum haberent. Facile autem Petrus nullatenus peccavit, quod de iis quæ exemplo ſuo induci poterant, non cogitaret, eaque indulgentia uteretur, quæ vel ab honeſtis de aliquando abſtinendum ſuadet, ne offendicula debilibus ſtruantur. Sed eſto, Petrus aliquantulum tunc deliquerit. An propterea hæreſis labe infectum dicemus? De his, quæ cum Apoſtolis in Concilio decreverat, optime ſemper ſenſit; nihilque umquam docuit quod Fidei adverſaretur. Ubi ergo hæreſis crimen? Paulum autem acriter Petro exprobraſſe, nequaquam ſuperbiæ & procacitati tribuendum eſt; ſed potius maximo illius in veritatem amori, caritatique, ac metui jure graviſſimo, ne Principis Apoſtolorum exemplo Antiocheni Fideles

(*a*) Joan. 1. 42. (*b*) Gal. 11.8.9.10.11.

les Circumciſionis Legaliumque neceſſitatem adſtruerent.

VII. S. Hieronymus, pluribus ex Veteribus laudatis, tuebatur, totam diſceptationis inter Petrum & Paulum ſeriem pia ſimulatione, ſanctaque politia de utriuſque Apoſtoli condicto inſtitutam fuiſſe. Petrus igitur per Hieronymum de Pauli conſilio Legalia adhuc ſervare ſimulabat; Paulus viciſſim de Petri aſſenſu fingebat ipſum reprehendere; nil aliud uterque habens præ oculis quam ut a ſuis, quibus pertinaciter nimium inhærebant, cæremoniis Judæi removerentur, intelligerentque, de Legalium abrogatione nedum Paulum, ſed & Petrum ipſum perſuaſum eſſe, cum libenti animo, veluti ſi in ea re deliquiſſet, redargui a Paulo pateretur. Porro Hieronymus ita philoſophabatur, quod cenſeret, Legalia ſtatim poſt Chriſti mortem fuiſſe non ſolum mortua, ſed & mortifera, ita ut pœnam damnationis incurrerent quicumque ex tunc ſerio illa ſervaſſet.

*S. Hieronymi opinio.*

VIII. S. Auguſtinus, qui exiſtimabat, Legalia eo tempore, quod perfectam Evangelii promulgationem præceſſit, mortua quidem fuiſſe, vacua ſcilicet meriti, ſed non mortifera, totis viribus Hieronymianæ ſententiæ ſe ſe oppoſuit, docens, Petrum vere & ex animo Legalia obſervaſſe; monuitque S. Doctorem, per ſimulationem, quam ipſe Apoſtolis appingebat, aditum Ethnicis patefieri, ut de ſacrarum Scripturarum mendacio ſuſpicentur; quo quidem Chriſtiana Religio funditus evertere-

*S. Auguſtini ſententia ceteris prævalet.*

tur. Ad os autem Porphyrio, ceteriſque obſtruendum Apoſtolos laudare mavult Auguſtinus, quam excuſare. Etenim, ut ſupra dicebamus, Paulus caritati inſerviens, Apoſtolo dignam libertatem præſetulit; Petrus vero objurgationem non rejiciens, maximum humilitatis ſpecimen exhibuit. Auctores Latini, qui de hac quæſtione poſt Auguſtinum egerunt, paria profeſſi ſunt. Quin idem S. Hieronymus, cum aliquanto poſt, adverſus Pelagiagianos ſcriberet, Petrum revera erraſſe, Paulum vero jure merito ipſi exprobraſſe fatetur (*a*). Quare cum Veterum (*b*), quibus Hieronymus olim adhæſerat, opinionem nemo nunc tueatur; quæſtionem prorſus abſolutam cenſendum ducimus.

*Quo tempore Legalia fuerint mortifera?*

IX. De tempore, quo Legalia cœperint eſſe mortua & mortifera, lis eſt inter Theologos. Communis tamen ſententia fert, mortua fuiſſe moriente Chriſto, mortifera vero labente, una cum Templo & Urbe ſub Tito, Judæorum Republica. Exinde enim neceſſaria non fuit cum Judæis diſpenſatio; imo potuiſſet ex ea pertinacius tumeſcere Nazaræorum, & Ebionitarum hæreſis, Chriſtianam Religionem cum Judaica complectens. Medio autem illo tempore, quod inter Chriſti mortem & Judæorum ruinam fluxit, Legalia permittebantur, ut Lex cum debito honore ſepeliretur. Sicut enim defunctorum corpora non ſtatim pro-

(*a*) Hieron. Dialog. contr. Pelag. I.... c. 8. Apollinar. Euſeb. Edeſſen. Chryſoſt. Theodoret. alii.
(*b*) Origen. Didym.

projiciuntur, ſed neceſſariorum officiis religioſe deferuntur ad tumulum, ita Lex vetus, perſoluto prius convenienti juſtitio, erat ſepelienda; ne obtrectationibus inimicorum proſcinderetur, ac ſi perniciosa fuiſſet, vel ab irato Numine data (*a*).

X. Confirmata jam, & ſolatio affecta, quæ Antiochiæ erat, Eccleſia, Paulus propoſuit Barnabæ, ut ad inviſendos Fratres per urbes, quibus Fidem ſimul annuntiaverant, ſecum veniret. Ille præſto ſe ſe exhibuit; rogare tamen, ut Joannes Marcus, ejus itineris comes adſciſceretur. Paulus adhibitis precibus, blandiſque verbis avertere illum ab eo conſilio tentabat, revocans in mentem Joannis inconſtantiam, qua ipſos in Pamphylia olim deſeruerat. Cum iſta Barnabam non moverent, hic perſtitit in conſilio, nec Paulus ſententiam mutavit; quare alter ab altero diſceſſere, atque in diverſa abiere, Barnabas cum Joanne in Cyprum, Paulus, Sila ſibi adjuncto, tranſgreſſa Syria & Cilicia, Derbèn primo, deinde Lyſtras venit (*b*). Provido autem Dei conſilio factum eſt ut quæ inter Paulum & Barnabam irrepſit, non quidem caritatis, ſed opinionum diſſenſio, Evangelii propagationi, & Eccleſiæ utilitati ſerviret, nam ea occaſione longe majorem Orbis tractum percurrerunt, & plures provincias illuminarunt.

*Inter Paulum & Barnabā diſſidium.*

XI. Joannes Marcus deinde ad Paulum rediiſ-

*S. Joannis Marci exitus.*

(*a*) Auguſt. Epiſt. 19. c. 10. & 11. nunc 82. Vide P. Berti de Theolog. Diſcipl. l. 20.

(*b*) Act. XIII. 13. XV. 36.

iiſſe creditur; de illo enim fert communis ſententia, ſcripſiſſe Apoſtolum ad Coloſſenſes: *Salutat vos Marcus conſobrinus Barnabæ*: eumdemque recenſere inter viros ſibi adſiſtentes, ſolatiumque in ſuis vinculis opportunum Romæ afferentes (*a*). Ejuſdem etiam meminit in Epiſtola ad Philemonem (*b*), & ad Timotheum (*c*). Bibli in Phænicia Epiſcopum fuiſſe, vulgatum eſt. Qua morte, & quo anno obierit, incertum. Epheſi ſepulcrum illius colebatur (*d*). Utraque Eccleſia, Latina & Græca, memoriam ejus die 27. Septembris celebrat.

*S. Barnabæ Epiſcopatus, Martyriũ & ſcripta.*

XII. De S. Barnaba poſt diſceſſionem a Paulo nil ulterius in Actis legimus. Ipſius tamen tanquam viri ſibi devinctiſſimi Paulus ad Corinthios meminit (*e*). Hinc Barnabam ad ipſum rediiſſe perſuaderemur. Sunt qui tradunt, illum veniſſe Mediolanum; atque a Mediolanenſibus ceu Apoſtolus regionis ſuæ, & primus Epiſcopus colitur. Huic traditioni opponi ſolet S. Ambroſii ſilentium; qui cum proteſtaretur, ſe numquam traditurum Arianis hereditatem Patrum, nempe Eccleſiam, meminit quidem Dionyſii, Euſtorgii, Miroclis, non tamen Barnabæ, qui primo loco nominandus erat, ſi illius Eccleſiæ Epiſcopus fuiſſet (*f*). Sed Ambroſius eos tantum prædeceſſores ſuos nominare volebat, qui proxime ſibi

(*a*) Coloſſ. IV. 10.
(*b*) Philem. verſ. 24.
(*c*) 2. Timoth. IV. 11.
(*d*) Euſeb. l. 3. c. 39. & l. 7. c. 25.
(*e*) 1. Cor. IX. 6.
(*f*) Orat. in Auxent. de Baſil. traden.

ſibi præceſſerant, quique in eadem cauſa adverſus Arianos, qua tunc ipſe, fuerant. Alexander Monachus, qui Barnabæ res geſtas, ſed minus accurate, ſcripſit, a Judæis Cypri lapidibus obrutum Salaminæ interiiſſe tradit, quod & a Græcis in Menæis narratur. Ejus corpus in eadem Inſula ſub Zenone Imperatore, anno circiter 488. repertum, pectori impoſitum ferebat Evangelium Matthæi, propria ipſius Barnabæ manu græce conſcriptum (*a*). Extat ſub Barnabæ nomine quædam Epiſtola, a nonnullis inter Canonicas numerata. Certum equidem eſt, vetuſtiſſimam eſſe, & Apoſtolorum temporibus exaratam. Tota eſt in demonſtranda Legis per Evangelium abolitione, & cæremoniarum Judaicarum inanitate. Quaſdam etiam regulas inſtruendis moribus utiliſſimas præſcribit.

*Paulus Timotheũ circumcidit.*

XIII. Paulus inventum in urbe Derbe, vel ut alii malunt, Lyſtris, Timotheum, patre natum Gentili, matre vero, Eunice nomine, Judæa, qui fratrum omnium teſtimonio commendabatur, itinerum ſuorum ſocium una cum Sila adſcivit, præmiſſa tamen Circumciſione (*b*). Quærunt autem hic Interpretes: Eccur Paulus Timotheum circumcidi voluerit, qui nullis precibus olim adduci potuit, ut eo ritu Titus conſignaretur (*c*)? Communis autem reſponſio eſt, Paulum noluiſſe ut circumcideretur Titus, tuendæ Evangelii libertatis gratia adverſus Judæos, qui Circumciſionem neceſ-

(*a*) Gotti de S. Barnaba.

(*b*) Act. xvi. 1.

(*c*) Supra n. 1.

ceſſariam eſſe ad ſalutem, contendebant; e contra vero voluiſſe ut circumcideretur Timotheus, quod ex una parte hæreſis illa minime in loco, ubi degebat, vigeret; ex altera vero Judæis tollenda erat omnis cauſatio removendi ſe a Timotheo, ejuſque prædicatione; numquam enim permiſiſſent, ut vir incircumciſus Evangelium ſibi annuntiaret. Perperam autem hinc nonnulli inferrent, Miſſionarios noſtros tolerare poſſe in Diſcipulis ſuis, recens ad Fidem converſis, ritus aliquos paganicos, contra quos prædicant, ut libentius ab infidelibus ſuis concivibus auditi, facilius etiam ad Chriſtianorum ſacra illos adducant. Circumciſio enim, & cetera Legalia tunc temporis inutilia quidem erant, ſed non mala; ritus autem paganici ſunt per ſe, ſuaque inſtitutione mali; atque adeo nullius boni obtentu poſſunt admitti.

*Paulus monetur, ut relictis aliis provinciis in Macedoniam proficiſcatur.*

XIV. Peragrata deinde Phrygia, & Galatia, Paulus, ſociique, ne in Aſia Proconſulari, quæ Joniam, Æoliam, & Lydiam complectitur, prædicarent, a Spiritu ſancto prohibiti ſunt. Myſiam ingreſſi, in Bythiniam progredi decreverant; ſed id conſilii Spiritus ſanctus pariter improbavit. At quorſum hæc? Facile norat Spiritus ſanctus futurum ut illi populi eo tempore oblatum ſibi tantum beneficium minus curarent, eoque contemptu crimen ſuum augerent. Dicere etiam poſſemus, alios populos his Deum tunc temporis pro ſuo arbitrio præferre voluiſſe. Cum in Troadem, quæ eſt Phrygiæ provincia, cuique ex veteri Troja no-

nomen inditum, deflexiſſent, Paulus per quietem virum quemdam, Macedonis ſpeciem præſeferentem, vidit, a quo, ut in Macedoniam tranſiret, rogatus eſt. Angelum fuiſſe, ejuſdem provinciæ Cuſtodem, Interpretes non dubitant. Tunc, ait S. Lucas, *quæſivimus proficiſci in Macedoniam* (*a*); quibus S. Lucas, Libri Actuum Auctor, primum ſe loquentem inducit; unde non temere colligitur, Lucam in Troade primum Paulo acceſſiſſe ſocium, quem deinceps numquam deſeruit (*b*).

*Paulus Pythonē ex ancilla pellit.*

XV. Navigium ergo in Troadis portu conſcendens Apoſtolus, primo Neapolim Macedoniæ urbem, non longe a Thraciæ finibus, tenuit; inde Philippos, primam in ea plaga Romanorum Coloniam, venit. Cum forte die Sabbati in locum ad cujuſdam amnis ripam conſtitutum, ubi Proſeucha erat, ſive Orationis locus, conveniſſent, religioſas quaſdam mulieres, facile proſelytis adſcriptas, nactus Apoſtolus illas alloqui cœpit, operiens interim, ut Judæi eo in cœtum colligerentur. Una ex illis, quam Lydiam vocabant, ex urbe Tyathyra originem ducens, & purpuræ fabricatrix ſive mercatrix, auditis Pauli verbis, ad Fidem converſa, & baptiſmo initiata, Apoſtolum, ſocioſque, ut apud ſe hoſpitarentur, coegit. Alia die illis ad eumdem locum ſe conferentibus occurrit puella quædam Ethnica, Pythonis ſpiritu abrepta, quæ futurorum oracula fundens, ingentes dominis ſuis con-

(*a*) Act. XVI. 10.

(*b*) Iren. l.3. c. 14. Hieron. de viris illuſtr. c. 7.

conferebat proventus (*a*). Hæc pone illos ſequuta, ſanctos viros, atque a Deo indicandæ ſalutis viæ miſſos, pleno ore appellabat. His facile illud aſſequi conabatur Diabolus, ut Apoſtolo ſociiſque inanis gloriolæ aliquid ſubreperet, creareturque in audientium mentibus ſiniſtra quædam in viros apoſtolicos ſuſpicio, ceu malo ſpiritui acceptos, probatoſque. Cum vero aliis, atque aliis diebus eadem clamaret, Paulus tandem invocato Jeſu Chiſti nomine, Pythoni præcepit ut ex puella faceſſeret. Paruit ille; at femina ab oraculis fundendis ceſſante, dominorum illius, qui eam lucri ſpem præciſam dolebant, invidiam Apoſtolus & Sila ſubierunt, delatique ad Urbis Magiſtratum, tanquam Judæi, qui novam averſamque Romanorum moribus & legibus Religionem molirentur, poſt virgarum ad ſanguinem uſque in nudo dorſo animadverſionem, in carcerem detruſi ſunt, compedibuſque adſtricti (*b*).

*Paulus carcere liberatus Cuſtodem baptizat.*

XVI. Media autem inſequente nocte in hymnos, & cantica effundebantur; cum ſubito concuſſa terra, atque ædificii fundamentis ab imo nutantibus, carceris fores ultro apertæ ſunt, & captivorum vincula contrita. Carceris cuſtos, viros diffugiſſe ratus, in extremam deſperationem venit, ſtrictoque in ſe gladio mortem ſibi conſciſcere parabat; cujus conſilium intelligens Paulus, ſtatim exclamare, ne quid in ſe crudelius tentaret, cum in carcere omnes adhuc ſubſiſterent. Tunc ille carcerem ingreſſus,

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 5. c. 5. n. 6.

(*b*) Act. XVI. 11.

ſus, viros ſanctos eduxit, lotiſque illorum plagis, ut ſalutis viam ſibi indicarent, etiam atque etiam rogavit. Illi non tantum cuſtodem, ſed & familiam ejus univerſam Fidei myſteriis inſtructam Baptiſmo initiarunt. Appoſitis deinde cibis, jejunio, vulneribus, ſanguiniſque effuſione peſſime affecti, recreati ſunt (*a*).

*Magiſtratus Paulum libere abire permittit.*

XVII. Mane alterius diei, forte quod puduerit Magiſtratum rei perverſe geſtæ cum viris inſontibus, ſive quod amici Pauli & Silæ omnia moviſſent pro illorum libertate procuranda, injunctum eſt Cuſtodi, ut recluſo carcere ambos viros illos abire permitteret. Verum Paulus, qui ſilens ſuſtinuerat virgis ſe cædi, & in carcerem detrudi, Evangelii gloriæ conſulens, innocentiæ, famæque ſuæ, ac Neophitorum fidei, beneficium Magiſtratus detrectavit, ſeque numquam paſſurum proteſtatus eſt, ut civis Romanus, poſt publicam virgarum carceriſque injuriam, ſecreto dimitteretur. Ipſe igitur Magiſtratus veniret, affectoſque publica ignominia, publico honore relaxaret. Hæc ad Magiſtratum delata, timorem illi incuſſere; qui cum veniſſet, atque injuriam deprecatus fuiſſet, e carcere eductos, ut ex urbe ſecederent, rogavit. Illi ſalutata prius in ſuis ædibus Lydia, Fratribuſque confirmatis, Philippis exierunt.

*Unde Paulo jus Romanæ Civilitatis?*

XVIII. Sed unde Paulo jus Romanæ Civilitatis, qua fruentes virgis cædi nequibant, niſi eſſent morte damnati? Oriundus erat Tharſo Ciliciæ, quæ Urbs ob egregiam in Cæſa-

(*a*) Act. xvi. 25.

ſarem fidem privilegium Coloniæ Romanæ meruiſſe fertur. Sed aliis Tharſus videtur tantum libera, quæ nonniſi diu poſt, ſub Imperio ſcilicet Caracallæ vel Helagabali, in Romanorum Coloniam tranſierit. Hinc ex nonnullorum ſententia pater, ſive avus Pauli jus illud ſibi heredibuſque acquiſiverat vel ſoluto pretio, vel opera egregie præſtita (*a*).

*Paulus Theſſalonicæ vexatus Athenas venit, ubi cum Chriſtum prædicaſſet, ad celeberrimum Areopagitarum Tribunal adducitur. Pauli Concio. S. Dionyſii Acta & Scripta. Ara* Deo Ignoto *ſacra.*

## CAP. IX.

ANNO CHRISTI 52. *Paulus Theſſalonicæ vexatur.*

I. PAulus & ſocii in Macedoniam ulterius penetrantes, Amphypoli, & Apollonia tranſgreſſis, Theſſalonicam Provinciæ metropolim venerunt. Erat in ea urbe Judæorum Synagoga, quo Apoſtolus ſe conferens, tribus ordine recurrentibus Sabbatis explicabat illis Scripturas, id ſcilicet agendum, tolerandumque a Meſſia fuiſſe, quod Jeſus Chiſtus egit reipſa, toleravitque. Ejus verba pluribus, qua Judæis, qua Proſelytis perſuaſerunt; acceſſerunt pariter Fidei Matronæ plures clariſſimæ (*b*). Judæi zelantes iniquius iſta ferentes concitaverunt lixas & calones, impetumque cum illis fecerunt in domum Jaſonis, ubi Pau-

(*a*) Vide Calm. in Act. XVI. 37. & XXII. 28.

(*b*) Act XVII. 1.

Paulus hoſpitabatur. Cumque Paulus fruſtra quæſitus eſſet, comprehenſum Jaſonem & ad Tribunal adductum, tamquam receptorem hominis in Cæſaris edicta contumacis, & alium præ Cæſare Regem, ſcilicet Jeſum Chriſtum, obtrudentis, accuſarunt. Præſtita tamen cautione de producendo Paulo, ſi res poſtularet, actutum Jaſon ab eo ſe periculo liberavit. Superveniente autem nocte Fratres Paulum & Silam ex urbe eduxerunt, eductiſque illis Judæi quievere.

*Paulus Berœa Athenas venit.*

II. Venerunt Berœam, in cujus Synagogam ingreſſus Paulus, nactuſque viros ac feminas ingenua magis indole, quam Theſſalonicenſes, non ſine ingenti plauſu & fructu audiebatur. Porro homines iſti non cæco plane modo in Fidem inducti ſunt; Scripturarum enim loca, quibus Paulus utebatur, ſedulo ad examen revocabant, ſcrutantes, num dolo malo ingererentur. Cum autem ad aures Theſſalonicenſium veniſſet, quod feliciter Evangelium Berœæ prædicaretur, per ſubmiſſos ſtatim emiſſarios tumultum excitantes, ut Paulus faceſſeret, relictis ibidem Sila & Timotheo, effecere. Deductus a quibuſdam Athenas, per viros illos, ad propria remeantes, edixit Apoſtolus Silæ & Timotheo, ut quantocyus ad ſe venirent (*a*).

*Athenarũ ſtudium & Areopagitarũ dignitas.*

III. Athenarum Urbs tanto Præceptorum Diſcipulorumque concurſu frequentabatur, ut famam, quam olim ſibi pepererat Imperio, bellicaque virtute, literarum deinde gloria facile



(*a*) Act. XVII. 10.

cile vicerit. Quare Apoſtolus nec auguſtius theatrum ſeligere potuit, ubi Evangelium nuntiaret, nec aptiorem locum, ubi nova ipſius doctrina avidius exciperetur, exceptaque citius per Orbem diffunderetur. Areopagus ſummum erat totius Græciæ Tribunal, apud quod Cephalus, Dædalus, Oreſtes, quin & ipſi Neptunus, & Mars cauſam dixiſſe feruntur; & quamvis poſteriori ætate, cum de veteri Athenarum potentia plurimum deceſſiſſet, Areopago umbra tantum priſtinæ famæ ſupereſſet, Ciceronis tamen ævo vel ipſi Romani honori ſibi ducebant, inter Areopagitas Judices recenſeri. Porro Areopagus non Aula erat, aut Templum, ſed area patens, ad ſemicirculi formam, in cujus meditullio ſolium e vivo lapide exciſum aſſurgebat, Principi Judicum deſtinatum; ambiebantque ſedilia, in eodem lapide, excipiendis aliis Judicibus, excavata. Juxta eum locum extabant quædam antra, in quibus rei coram ſenatu adducendi detinebantur (*a*). Ajunt, Judices nonniſi noctu ſententiam pronunciaſſe, ne reorum aſpectu commoverentur. Qui cauſam dicebant, ab omni verborum eloquentia, ſive ſermone ad perſuadendum elaborato, abſtinebant, ſimplici rei geſtæ narratione contenti. Tandem non vocalis, ſed tabellaris dabatur ſententia; unde illud, *Areopagita taciturnior*. Hæc tamen ætate Pauli deſierant.

*Paulus in Areopagũ adducitur.*

IV. Paulus Athenarum urbem ingreſſus, totamque Idololatriæ ſuperſtitionibus implicitam

(*a*) Spon. Itinerar.

tam nactus, a lacrymis non abſtinuit. Nulla autem non die promulgando Evangelio operam dabat; poſtque edoctos Judæos, & Gentiles Deum timentes, qui in eorum Synagogis adfuiſſent, conferebat ſe ſe in forum, quo concurſus ex omni hominum genere fiebat, ibique palam pro concione Chriſtum annunciabat. Philoſophi, maxime qui de Epicureorum, & Stoicorum ſecta erant, audientes Paulum celebrantem Jeſum Chriſtum, ejuſque Reſurrectionem, alii nebulonem, qui ſibimet ignota garriret, exiſtimarunt, alii vero novo alicui Numini locum in Urbe ab illo poſtulari. Quare apprehenſum Paulum ad Areopagum duxerunt, ut quid ſibi tandem vellet, clarius explicaret. Diſputatur autem, utrum hic Areopagi nomine intelligendus ſit Areopagitarum Senatus, an tantum locus ille, quo Areopagitæ ad Judicium coire ſolebant. Nonnulli poſteriorem ſententiam amplectuntur, quod notet Lucas, omnem Athenienſium curam in rebus novis dicendis, audiendiſque verſari (*a*). Si igitur hos audias, Paulus coactus fuit, ut otioſis hominibus, in loco Areopagi ſedentibus, aut ambulantibus, ſe ſeque vanorum rumorum aucupio delectantibus, doctrinam ſuam exponeret. Verum prior opinio pluribus probatur, cenſetque Chryſoſtomus, Paulum ad Judicum cœtum adductum, ut damnationis ſententiam ſubiret (*b*). Quamvis enim ſumma eſſet Athenis libertas quoad Deorum

 cul-

(*a*) Act. XVII. 21. From. Baron. alii.
(*b*) Chryſoſt. in Acta,

cultum, lege tamen cautum erat, ne quis ſtatuam dedicaret, Aram erigeret, novamque Religionem induceret, citra Areopagi ſententiam (*a*). Scitum eſt, quanti Anaxagoræ, Diagoræ, Protagoræ, & Socrati ſuperſtitionis novitas ſteterit. Ipſemet Plato ex Ægypto redux, ne palam ediſſereret quæ de Dei natura didicerat, metu Areopagi abſtinuit (*b*).

*Pauli ad Athenienſes Oratio.*

V. Igitur coram ampliſſimi cœtus Judicibus ſe ſiſtens Paulus: Viri Athenienſes, ait, ut video, præter modum ſuperſtitioſi eſtis; dum enim Urbem veſtram inambularem, præter alia veſtri in Deos cultus argumenta, Aram offendi cui epigraphes: *Deo Ignoto*. Non aliud autem vobis annuncio Numen, quam quod vobis ignotum colere ſuſcepiſtis, Deum nempe, Mundi & omnium quæ in eo continentur, Conditorem; qui cum Cæli & Terræ Dominus ſit, omnibuſque id, quod ſunt, largiatur, Templis ſane claudi nequit, hominumque famulatu non indiget. Hic, ut ex unico & communi parente univerſum genus humanum procrearetur, diſpoſuit, totumque, qua late patet, Orbem terrarum mortalibus in ſedem conſtituit, ac de omnibus pro imperio decernens, ſingulis certum naſcendi tempus, definitoſque vitæ annos, ac peculiares habitationis terminos præſcripſit. Qua in re illud Deus ſibi propoſuit, ut homines ipſum veluti manu tentando, explorandoque, indagare,

(*a*) Harpocration, & Suidas.

(*b*) Juſtin. Paræn. ad Græcos. Calm. hic, Gotti, de S. Paulo c. 2. §. 1.

gare, & invenire valerent; id quod aliunde etiam pronum ac facile reputaretur, cum ille longe non ſit ab unoquoque noſtrum; in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus, juxta ac nonnulli vel ex veſtris Poetis profitentur, qui ſcripſerunt: *Ipſius enim & genus ſumus* (*a*). Porro ſi nos, qui Dii non ſumus, ſed Dei Creatoris opus, & ut verbis Poetarum utar, genus dumtaxat ex Deo referimus, auro, argentoque, ac figuris ex materia, ſcite licet, & docte confectis, longe præſtamus, quid de ipſa Dei natura ſentiamus, oportet? An reputabimus, exprimi digne illam poſſe ſub corporeæ imaginis figura, vel intra figuras haſce alligari, adſtringique. Hactenus Deus tempora hujus cæcitatis & ignorantiæ, qua hominum genus ferme totum, Idololatriæ ſuperſtitionibus deditum, tenebatur, diſſimulavit; nunc vero nunciari hominibus pœnitentiam, monerique, ut ab errore reſipiſcentes convertantur ad illum, curavit. Ni meliora conſilia ſuſcipiant, ſeveriſſimæ animadverſioni illos ſubjiciet die Judicii, quo totius Mundi cauſam cogniturus eſt per Virum, quem omnium hominum Judicem conſtituit, cuique fidem adſtruxit, cum illum a mortuis ſuſcitaret. Vix mortuorum reſurrectione audita, ſublatum inter auditores murmur, aliorum quidem irridentium, aliorum autem in alteram diem ejus rei diſputationem poſtulantium; atque ita e cœtu illo Paulus exivit. Adhæſerunt tamen



(*a*) Aratus, apud Hieron. in Epiſt. ad Tit. 1. & Cicer. l. 2. de Nat. Deor.

illi nonnulli, manus Fidei exhibentes; inter quos Dionyſius ex Areopagitarum Judicum numero, & mulier quædam Damaris nomine, quam Chryſoſtomus & Aſterius ipſi Dionyſio uxorem tribuunt (*a*).

*In Pauli Oratione animadverſio.*

VI. Totum Pauli argumentum eo potiſſimum tendit, ut gemini errores, qui Athenis regnabant, eliminarentur. Satos ſe e patrio ſolo, non ab alia extera gente originem ſuam ſe duxiſſe jactabant (*b*). Inane iſtud commentum explodit, dicens, omne hominum genus ex uno, eodemque parente derivatum. Alter error Idololatriam ſpectabat. Rudi vulgo perſuaſum erat, Idolum eſſe Deum. Sapientiores minime quidem eſſe Deum, ſed Deum tamen repræſentare, rebantur (*c*). Hoſce errores Paulus confutat, hæc inſinuans: Statua nedum hominem non continet, ſed nec illum exhibet, niſi diluta admodum imagine, & qua tantummodo parte rudior eſt, & illiberalior, ſcilicet corpore. Potiori igitur jure, Deum, qui hominem fecit, eumque quam longiſſime ſuperat, Idolum numquam exhibebit. Ad quid ergo Idolorum uſus? Paulus merum putumque viri nomen Chriſto tribuit, quod auditores non haberet ad agnoſcendam Divinam ipſius naturam idoneos. Denique qui Paulum irriſerint, Epicurei, Animæ immortalitatem negantes, creduntur. Platonici, Stoici, Peripateci, & ſi quæ aliæ tunc erant Athenis Philoſophorum ſectæ, quamquam de Reſurrectione aliter ac Hebræi & Chri-

(*a*) Act. XVII. 21.
(*b*) Cicero pro Flacco.
(*c*) Ovid. ex Ponto I. 2. Epiſt. 8.

Chriſtiani ſtatuerent, attamen minus illi adverſabantur, cum animorum de uno in aliud corpus revolutio, & alia ea de re Ethnicorum dogmata eo poſſint revocari. Quare non immerito eis tribuerentur illa: *Audiemus te de hoc iterum*.

VII. Quæ ſapientiæ, integritatis, & juſtitiæ fama de Judicibus Areopagitis increbuit, Dionyſio commendando plurimum valet. Poſt ſuſceptum Baptiſmum primus Athenarum Epiſcopus ab ipſo Paulo renunciatus eſt (*a*). Fertur etiam, in eadem Urbe martyrium conſummaſſe, ſuiſque manibus caput ſibi abſciſſum ad duo milliaria geſtaſſe (*b*). Plures tamen, jam inde ab ætate Ludovici Pii, firma perſuaſione tenuerunt, Dionyſium Areopagitam Athenarum Epiſcopum Romam veniſſe, & a Clemente Papa in Gallias prædicandi gratia miſſum fuiſſe; cumque Pariſiorum Epiſcopum egiſſet, tandem ibidem martyrem obiiſſe (*c*). Hanc opinionem ſe hauſiſſe, ſcribit Hincmarus Rhemenſis, noni ſæculi Auctor, *ex Græca teſtatione, S. Romanæ Eccleſiæ atteſtatione, & Gallicana conteſtatione*. Alia de Dionyſio Areopagita quæſtio exercet Eruditos, an ſcilicet ſcripta, quæ a multis ſæculis ſub ejus nomine feruntur, genuini partus illius ſint, an potius ſuppoſiti? Obeſt ſane priori dubii parti veterum de iſtis Operibus ſilentium. Primo enim paruerunt anno Chriſti 533. eaque ſuis tu-

*S. Dionyſii Areopagitæ Acta & ſcripta.*

G 4

(*a*) Vide Euſeb. l. 3. c. 4.

(*b*) Menolog. Baſil.

(*c*) Martyrolog. Rom. Baron. Gotti, de Dionyſio.

tutandis erroribus produxerunt Severiani, ſive Acephali Hæretici. Hinc nonnullis ſedet opinio, ſcripta Dionyſio Areopagitæ attributa, alium non habere parentem, quam Hæreticum quemdam Monophyſitam, ſeu Euthychianum, qui ſui erroris virus hiſce Operibus effuderit (*a*). Qui in contrariam ſententiam abeunt, quædam nova, & a Dionyſii Areopagitæ ætate aliena, uti ſunt *Monachorum*, *Ouſiæ*, *&* *Hypoſtaſis* nomina, in Libros illos irrepſiſſe, fatentur (*b*).

*Variæ de Deo Ignoto, opiniones.*

VIII. Quæ fuerit Ara, *Ignoto Deo* ſacra, diſquiritur. Tradit S. Hieronymus Aræ hujus epigraphen paulo diverſis verbis conceptam fuiſſe, quam recitaverit Paulus, in hanc videlicet ſententiam: *Diis Aſiæ*, *Europæ*, *&* *Lybiæ*; *Diis Ignotis & Peregrinis*; maluiſſe autem Paulum uti verbo ſingulari, quod plurale conſilio ſuo minus inſerviret (*c*). Hæc tamen ægre admitteremus, niſi forte dicatur, fuiſſe quidem Athenis Aras Diis Ignotis, & Peregrinis dicatas, ſed inter eas quamdam ſingularem extaſſe, *Deo Ignoto* ſacram. Nam apud Lucianum quidam jurat per *Ignotum Athenis*; & alii, cum Athenas veniſſent, *Deum Ignotum* nacti ſunt (*d*). Non me fugit, Pauſaniam & Philoſtratum narrare, erectas Athenis fuiſſe Aras *Diis Ignotis*; ſed illis forte ſingulis ſua erat epigraphes: *Deo Ignoto* (*e*). Et hæc de

(*a*) P. le Quien diſſert. ad Tit. 1. 2. Damaſcen.

(*b*) Scheleſtr. Natal. Cozza Gotti.

(*c*) Hieron. in Epiſt.

(*d*) Lucian. Philopat.

(*e*) Pauſan. in Atic. Philoſtr. l. 6. c. 2.

de Epigraphe. Sed quid Numinis in Ara illa colebatur? Quatuor potiſſimum feruntur ſententiæ. Primo enim certant nonnulli pro vero Judæorum Deo (*a*). Judæi ſane a pronunciando nomen illud *Jehova*, quod Deus ſibi aſſumpſerat, abſtinent, ut recta illius pronunciatio inter ignota computetur. Deum Judæorum *Incertum* appellat Lucanus: *Et dedita ſacris Incerti Judæa Dei* (*b*). Eo ſpectare videtur ipſemet Paulus: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus qui fecit Mundum* &c. Auguſtinus tandem docet, Athenienſes ſub Ignoti Dei nomine verum Deum, vaga tamen & confuſa idea, coluiſſe, eoſque comparat Schiſmaticis, qui extra Eccleſiam genuinum Deum venerantur (*c*). Altera ſententia eſt Petri Comeſtoris, Hiſtoriæ Scholaſticæ Parentis, qui nonnullis ſuffragantibus (*d*), in Deo Ignoto Chriſtum agnoſcit. Refert enim, S. Dionyſium Areopagitam, cum Solis defectum in obitu Salvatoris ſpectaſſet, autumaſſe, ignotum aliquod Numen dira pati; cumque in rei cognitionem devenire non poſſet, Aram Deo Ignoto conſecrandam curaſſe. Hæc ſententia ceteris præferretur, ſi antiquo aſſertore fulta eſſet. Præterea, ſi hæc ſibi conſtaret, Paulus in ſua ad Athenienſes concione potius ad Deum Redemptorem, & tormenta patientem, quam ad Deum Mundi Conditorem, reſpexiſſet.

Ter-

(*a*) Cornel. Sanct. Lorin. Menoch. Baron.
(*b*) Pharſal. l. 2.
(*c*) Contra Creſcon. l. 1. c. 29.
(*d*) Vide etiam Sanct. Hugon. Salmer.

Tertia opinio tenet, Paulum præ oculis habuiſſe Aras illas per Atticam non uno in loco conſecratas, & nullo peculiari Numini inſcriptas, erectaſque occaſione expiationis ſolemnis, qua cohibendæ lui Epimenides Magus regionem luſtravit. Hic enim oves quaſdam dimittens, mandatis oneravit nonnullos, ut errantes ſequerentur, & cum ſponte ſua quieſcere viderent, immolarent Deo loci vicinioris, ſive Deo, cui maxime oporteret. Factum inde, ait Diogenes Laertius, ut in agro, viciſque Atticæ erecta quædam Altaria, nullo Dei nomine inſcripta, occurrant in memoriam hujus expiationis, qua lues ceſſavit (*a*). Verum cum Aræ iſtæ nullam preferrent epigraphen, aliæ ſane erant ab Ara, cui inſcriptum *Ignoto Deo*. Quarto loco recenſemus Chryſoſtomi opinionem, quam veriorem putamus. Athenienſes, inquit, qua tenebantur ſuperſtitione, poſt collectum fere ex omnibus Mundi Numinibus Collegium, veriti, ne ſedulitatem atque diligentiam ſuam aliquod fugiſſet, huic Aram excitarunt hac epigraphe adjecta: *Ignoto Deo*. Sed ſi Athenienſium Deus Numen erat extraneum, incertum, ambiguum, cui populus ille cultum impenderet impium, & ſuperſtitioſum, qui dicere potuiſſet Apoſtolus, ipſum eſſe Mundi Conditorem? Hiſce reponimus, numquam reipſa Paulum voluiſſe, Deum verum ab Athenienſibus Divino honore cultum demonſtrare, ſed illud reputaſſe tantum, ut vagum, incer-

tum-

(*a*) Diog. Laert. l. 1. in za, Caſaub. Selden. Hamm. Epimen. Grot. Voſſ. Be-

tumque eorum cultum determinaret, Deum verum annunciando, quem ipſi ad id uſque temporis ignoraſſent, dignum alioqui quem unice venerarentur, quaſi diceret. Deum colitis ignotum; ego vobis oſtendo Numen aliud ignotum, & dignum, in quem obſequia veſtra omnia & honores transferatis. Hac autem admiſſa interpretatione, multum roboris opinioni, quam primo loco retulimus, deficere, compertum eſt; quæ aliunde argumentis nimis longe petitis ſulcitur.

*Paulus Corintho geminas Epiſtolas ad Theſſalonicenſes mittit. Adventantis Antichriſti indicia. Traditiones retinendæ. Paulus Judæos deſerit, ad Proconſulem rapitur, Nazareatus votum ſolvit. Apollo floret. Paulus Eccleſiam Epheſinam fundat, Apollonio Thyanæo ſe ſe opponit, cum beſtiis pugnat, ad Galatas ſcribit. Prima ipſius ad Corinthios Epiſtola. Baptiſmus pro Mortuis. Filii Scevæ exorciſmis vacant. Demetrius perſecutionem movet.*

## CAP. X.

I. DUm Paulus adhuc Athenis ſubſiſteret, eo Theſſalonica ſe conferens Timotheus, perſecutionis, in Fideles illius urbis graſſantis, Apoſtolum certiorem fecit; quibus proinde confirmandis ſolandiſque eumdem Timotheum Theſſalonicam remiſit (*a*). Cum Paulus intelligeret, Evangelium Athenis minus

Anno Christi 52.

*Paulus Corinthū petit.*

*Quænam illius ars?*

(*a*) 1. Theſſ. II. 17. & III. 1.

nus proficere, digreſſus inde, Corinthum perrexit eodem fere tempore (*a*), quo Judæus quidam, ex Ponto in Aſia oriundus, Aquila nomine, una cum Priſcilla uxore, illuc diverterat, Roma pulſus edicto Claudii Imperatoris, qui Judæos omnes inde faceſſere juſſerat (*b*). Apud hunc virum Paulus hoſpitium elegit, ejuſdem artis ſcenofactoriæ, conſuendi nempe tentoria, ſive aulæa, exercitio illi ſociatus. Solemne erat apud Judæos, vel eos pariter, qui literas profitebantur, artem aliquam exercere, cujus lucro vitam tolerarent, ne ceteris graves eſſent. Pater, qui filium arte aliqua imbuendum non curat, ait R. Judas, perinde reus erit, ac ſi illum doceat furari. Nec tamen arte ſua adeo detineri paſſus eſt Paulus, ut de prædicationis ſtudio quicquam remitteret. Singulis enim Sabbatis in Synagoga Judæis ſimul, & Gentilibus Deum timentibus, verba de Jeſu Chriſto faciebat, non ſine multorum fructu; inter quos Stephanam, ſive Stephanum cum univerſa ejus familia, quos Achajæ primitias ipſe nuncupat, baptiſmo initiavit (*c*).

*Prima Pauli ad Theſſalonicenſes Epiſtola. Reſurrectionis ordo.*

II. Circa idem tempus Theſſalonica Corinthum venientes Timotheum & Silam, alio nomine Silvanum, lætiſſimus excepit Apoſtolus, recreatus ex renunciato ſibi ab illis optimo Eccleſiæ Theſſalonicenſium ſtatu, de quo maxime ſollicitus erat. Eam occaſionem excepit Pau-

(*a*) Act. XVIII. 1.

(*b*) Vide hanc Hiſtor. l. 10. c. 7. n. 5.

(*c*) 1. Cor. XII. 12. & XIV. 16. Item 1. Cor. XVI. 16.

Paulus primæ ad Fideles illos Epiſtolæ ſcribendæ, in qua eorum ſtudium caritatemque in Fratres pluribus effert. Deinde monita quædam, potiſſimum circa conjugii uſum, & otii fugam adjungit. Tandem docet, nos in neceſſariorum obitu ſolatium aliquod accipere debere, noſtramque mortem optare potius, quam vereri, cum nos in æternum ſemperque felicem ſtatum ſit immiſſura. Qua occaſione nonnulla exponit de Mortuorum Reſurrećtione: Univerſi, ait, homines ad primum tubæ Angelicæ clangorem, uno momento, ſimul reſurgent, cum vetuſtiſſimi ex mortuis, tum noviſſimi. Tota autem diſcretio in eo ſita erit, quod Electi obviam ibunt Chriſto ad Judicium venienti, Impii vero humi manebunt. Si qui autem ex Noſtris ad illud uſque tempus ſuperſtites erunt, morte vel minime (*a*), vel ad momentum deguſtata (*b*), ſtatim una cum Electis rapientur in aera, Chriſto honoris gratia occurrentes. Ad tempus autem quod ſpectat, opus non eſt, ut de eo vobis loquamur, cum noveritis, *quia dies Domini, ſicut fur in nocte ita veniet* (*c*).

*Altera ad Theſſalonicenſes Epiſtola. Adventantis Antichriſti indicia.*

III. Nebulones quidam, vel falſo Pauli Epiſtolam interpretantes, vel Paulo ſupponentes epiſtolam aliquam, in qua falſa narrarentur, Theſſalonicenſium animos terruerunt, dicentes, *diem Domini* proxime imminere (*d*). Huic

(*a*) Origen. Epiphan. Chryſoſt. Theodoret. & alii Græci fere omnes, cum Cajet.

(*b*) Latini Patres paſſim.

(*c*) Vide Calm. in 1. Theſſal. IV. 14. & V. 1.

(*d*) 2. Theſſal. II. 2.

Huic errori eliminando Paulus alteram Epiſtolam ad illos ſcripſit ex eadem Urbe Corintho. In ea otioſos homines iterum caſtigat, ceteros vero perſecutiones æquo animo tolerare hortatur. Utrique Epiſtolæ in fronte Silæ, Timothei, & Pauli nomina præfiguntur. Deinceps de Sila nihil in Scriptura, quem in Macedonia Martyrem obiiſſe, fertur. Ut autem ad diem Domini redeamus, docet Paulus, tempus illud nondum adveniſſe, nec prius venturum, quam pareat *diſceſſio*, ſive *apoſtaſia*, & *Homo peccati* (*a*). Sunt, qui diem Domini interpretentur de vindicta qua Deus deinceps per Romanos in Judæos graſſatus eſt (*b*). At communis ſententia, Paulum de die ſupremi Judicii diſputare defendit. Quorſum enim Theſſalonicenſes de Hieroſolymitanorum Judæorum rebus doceret Apoſtolus? Iſtane ſcire illorum intererat? Communi pariter ſuffragio diſceſſionis nomine venit, aut populorum adverſus Romanum Imperium ſeditio, & Imperii ejuſdem everſio; aut Chriſtianorum per ſchiſmata & hæreſes, ab Eccleſiæ defectio; aut utrumque. Neutrum autem Pauli ævo viſebatur; ſed nec modo viſitur. Nemo enim jure dixerit, Romanum Imperium penitus deſiiſse, cum in Germania, tametſi multo infirmiſſimum, adhuc vigeat. Eccleſia pariter Catholica, quamquam innumeros Fidei deſertores paſſa ſit, eadem tamen perſeverat. Quare dies Judicii etiam a noſtro ævo remotus debet exiſtimari. Reſtat inquirendum, quiſnam ſit *Homo peccati*,

(*a*) 2. Theſſal. II. 3. (*b*) Grot. Ham.

*ti, filius perditionis, qui extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, ita ut in Templo Dei ſedeat oſtendens ſe, tamquam ſit Deus: qui operatur myſterium iniquitatis; cujus adventus eſt ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis; quem denique Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui* (*a*). Non moror Proteſtantium illorum opinionem, qui hic Romanum Pontificem vident, cum ita a veritate abhorreat, ut vel ab eorum ſapientiſſimis improbetur, & in iis, a quibus probatur, non aliam quam cæcæ ſimultatis ſpeciem præſeferat. Aliis igitur flagitioſiſſimus iſte Homo eſt Cajus Caligula, aliis Nero, aliis Simon Magus, aliis Apollonius Thyanæus, aliis alii. Qui vero ex Veteribus in Neronem inclinant, ceteris numero præſtant, alio tamen alii abeuntes. Nam quidam credebant, Neronem eſſe, vel ipſum Antichriſtum; vel ipſius Præcurſorem, quem brevi Antichriſtus conſequeretur. Autumabant nonnulli, Neronem in fine temporum e mortuis ſurrecturum, complendis iis, quæ de Antichriſto Scriptura narrat. Ceteri tandem aſſerebant, Neronem adhuc vivere ignoto in loco, immanitatemque ſuam in Dei famulos certa die exercendam reſervare (*b*). Sed Patres & Interpretes ceterorum præſtantiſſimi uno ore Antichriſtum ab Apoſtolo prædictum fatentur, alium ſane a Nerone, aliiſque Dei hoſtibus, qui tamen Antichriſti Præcurſores utcumque vocari poſſunt. Hic in Templo Hieroſolymæ, quod iterum excitabit, ſive in Chri-

ſtia-

(*a*) 2. Theſſal. 11. 3. 4. 5. (*b*) Calm. ibidem.

ſtianorum Templis, ceu Deus ſedebit, ut a Fidei perduellibus adorationes excipiat. Per ſuos adminiſtros, ſive Præcurſores, Tyrannos, Hæreticos, Schiſmaticos myſterium iniquitatis exercere incæpit, quod in fine Mundi complebit, quando ſuis miraculis, ſive veris (*a*), ſive falſis (*b*), Dæmonis ope patratis, populos dementabit. Verum Jeſus Chriſtus nullo negotio, ſolo oris ſui halitu, ſive imperio, illum deſtruet, & in ignem æternum præcipitabit (*c*).

*Traditionum authoritas, neceſſitas, & diſtinctio.*

IV. Eiſdem Theſſalonicenſibus præcepit Apoſtolus, ut *tenerent Traditiones, quas didicerant, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam ſuam* (*d*). Non omnia ſcriptis tradidere Apoſtoli; quin illorum plerique ſcripta penitus nulla reliquere, ore tenus docere contenti, quæ ipſi ex ore Chriſti, qui nihil unquam ſcripſit, acceperant. Porro Dei Verbo, vel ſcriptum ſit, vel ſermone tantum traditum, par adhibenda eſt fides, ut docent Patres, & confirmat Concilium Tridentinum (*e*). Neceſſarias autem eſſe Traditiones, ex inde oſtenditur contra Novatores, quod iis remotis, neſciremus, exempli gratia, an quatuor tantum ſint Evangelia Authentica; an B. Maria Virginitatem poſt partum ſervaverit; an Baptiſmus ab Hæreti-

(*a*) Auguſt. in Joan. tract. 13. & l. 22. de Civit. c. 19.

(*b*) Hieron. Chryſoſt. Theodoret.

(*c*) Lact. l. 7. de Divin. præm. c. 17. & 18. Vide Calmeti de hoc argumento diſſert.

(*d*) 2. Theſſal. 2. 15.

(*e*) Seſſ. 1. c. 1.

reticis collatus ſit iterandus; quinam ſit quarumdam Scripturarum, quas denſa obſcuritatis caligo involvit, ſenſus genuinus. Nec tamen omnes æque, quæ vulgo feruntur, Traditiones nullo delectu recipere tenemur, ſed eas tantummodo, quas Eccleſia, & unanimis Patrum conſenſus probavit. Quin & inter has diſtinguendum eſt: nam aliæ ſunt Divinæ, quæ a Chriſto, aliæ Apoſtolicæ, quæ ab Apoſtolis, aliæ Eccleſiaſticæ, quæ ab Apoſtolorum ſucceſſoribus originem ducunt. Sed de his Theologi.

*Paulus Judæis relictis ad Gentiles tranſit, & ad Proconſulem rapitur.*

V. Poſt adventum Silæ & Timothei Corinthum, prædicationi impenſius intendebat Paulus, ſed tandem Judæorum blaſphemiis ab illis recedere coactus, veſtes primum excuſſit in eos, deinde: *Sanguis veſter, ait, ſuper caput veſtrum; mundus ego ex hoc ad Gentes vadam* (a); quaſi diceret: Imminere capiti veſtro Dei ultoris gladium cerno: ſi perieritis, id veſtræ obſtinationi adſcribite: docui, monui, hortatus ſum: omni a me veſtræ ruinæ amota culpa, Gentium ſaluti addicar. Nec mora, relicto Aquilæ, hominis Judæi, hoſpitio, apud Titum Juſtum, Ethnicum quidem genere, ſed Fidelem ſtudio, qui juxta Synagogam habitabat, divertit. Tunc nedum multi ex Corinthiis, ſed & ipſe Archiſynagogus, Criſpus appellatus, Fide ſuſcepta, Baptiſmo initiati ſunt. Novo etiam viſu a Deo confirmatus Apoſtolus, facta inſuper ab ipſo ingentis populi in ea urbe ad Fidem reducendi ſpe, duo-



(a) Act. XVIII. 6.

devigínti menſibus moram ibi protogavit, quo tamen ſpatio ad alias viciniores urbes excurriſſe creditur.

ANNO CHRISTI 54.

*Paulus ad Proconſulem rapitur.*

VI. Judæi, ſtudio perdendi Paulum, ad Gallionem, Achajæ Proconſulem, Corinthi verſantem, cui frater Seneca, Neronis Præceptor, Librum de Ira nuncupavit, rapuerunt accuſantes, quod novam quamdam Religionem, contra ac Lex præſcribit, induceret. Incipientem ſe purgare Paulum præoccupavit Proconſul, verſuſque ad Judæos: Non ſum ego, ait, Judex his cauſis cognoſcendis conſtitutus: de veſtra Lege vos judicate; juſſitque, e Tribunali recederent. Apprehenſum autem coram eodem Judice Soſthenem Synagogæ Principem, qui forte Criſpo ſucceſſerat, cæciderunt, Gallione minime prohibente. Sed a quibus cæſus eſt, Judæiſne, an Gentilibus? Incertum. Juxta nonnullos (*a*) ſupplicium de eo Judęi exegerunt, quod Paulo favere clam deprehendentes, quem non poterant in Apoſtolum furorem, in amicum explerent. Juxta alios (*b*) Judicis miniſtri, male exceptos a Gallione Judæos videntes, illius exemplo audaciores facti, de Principe Synagogæ ſive ludibrium, ſive ultionem de Paulo ſuſcipiendam autumarunt.

*Paulus Nazaræatus votum ſolvit, & varias provincias excurrit.*

VII. Paulus aliquo adhuc tempore Corinthi ſubſiſtit; quo elapſo, Hieroſolymam ad Feſtum Paſchatis, vel Pentecoſtes contendere ſtatuit. Navim conſcenſurus, in Cenchris Corin-

(*a*) Chryſoſt. Sanct. Eſt. Fromond. (*b*) Auguſt. Hieron. Grot.

Digitized by Google

rinthi portu, comam ſibi abraſit, voto Nazaræatus, quod antea, Judæis facile ſibi conciliandis, nuncupaverat, ſolutus, reliqua, quæ Nazaræos ſpectabant (*a*), in Templo Hieroſolymæ rediturus. Apud Phœben Eccleſiæ Cenchreenſis Diaconiſſam, quin & apud Cajum, ſive Gajum, Macedonem genere, ſed Corinthi incolam, hoſpitatum fuiſſe Paulum, non ignoramus (*b*). Ex Cenchris ſolvens, Aquila, ejuſque uxore Priſcilla comitatus, Epheſum venit, ibique illis relictis, ſuaque doctrina Judæis per tranſitum expoſita, iterum mari ſe committens, Cæſaream Palæſtinæ, ac dein Hieroſolymam contendit (*c*). Poſt factum in ea urbe Religioni ſuæ ſatis, Antiochiam venit, elapſoque certo temporis ſpatio, per univerſas Galatiæ & Phrygiæ Eccleſias diſcurrit; peragratiſque ſuperioribus Aſiæ provinciis tandem Epheſo ſe reſtituit.

*Apollo doctrina, humilitas, zelus, Epiſcopatus.*

VIII. Eo interim Apollo, Judæus Alexandrinus, venerat, vir Scripturarum ſcientia, & eloquentia excultiſſimus (*d*); quare adhuc Cathecumenus, nec niſi Joannis baptiſmo initiatus, ſimulque nondum noſtræ Religionis myſteriis ſatis imbutus, Chriſtum tamen ſummo ardore prædicabat. Cum Aquilam & Priſcillam nactus fuiſſet in Synagoga inter ſuos auditores, arcana Religionis ex illis accuratius ediſcere non recuſavit; quo tempore Chriſti

 ba-

(*a*) Act. XVIII. 18. Vide hanc Hiſtor. l. 4. c. 8. n. 3.

(*b*) Rom. XVI. 1. & 23.

(*c*) Text. Græc. & Chryſoſt.

(*d*) Act. XVIII. 24.

baptiſmate ablutus crederetur. Proficiſci deinde in Achajam cogitantem Apollo fratres confirmarunt, literaſque ad Fideles illius regionis dederunt, ut venientem pro merito benigne exciperent. Corinthum perveniens, pro Fidei incremento adeo feliciter laboravit, ut ea quæ Paulus plantaverat, opportune irrigarit (*a*). Viri zelo & ſapientia capti Fideles, ejus partibus impenſius favebant, cum interim alii Pauli, alii Cephæ, quem Petrum fuiſſe credimus, eſſent ſtudioſiores; ex quo parum abfuit, quin ſchiſma excitaretur. Tanto avertendo malo Paulus ad Corinthios ſcripſit: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat Deus*. Porro ea Diſcipulorum contentio, Magiſtros minime diviſit; quin Apollo, cum Corinthi audiſſet, Paulum Epheſi eſſe, illum adiit, & quamvis rogatus ab eo noluit, ſaltem pro aliquo tempore, Corinthum redire (*b*). Imo S. Hieronymus tradit (*c*), eam Corinthiorum diviſionem adeo Apollo diſplicuiſſe, ut Corintho tandem relicto, in Cretam cum Zena Legis perito diverterit; nec prius rediiſſe, quam per Apoſtolum diſſidentes animi reconciliarentur; regreſſum vero munus Epiſcopale obiviſſe. Sed alii Apollo Epiſcopum faciunt Cæſareæ, alii Duræ, alii Colophonis in Aſia, alii Coni, ſive Iconii in Phrygia (*d*).

IX.

(*a*) 1. Cor. III. 6.

(*b*) Ibid. XVI. 12.

(*c*) In Epiſt. ad Titum III.

(*d*) Gotti de Paulo §. 13.

IX. Paulus Epheſi triennio permanſit, ubi ſocios habuit Cajum & Ariſtarchum ex Macedonia, Eraſtum Corinthium, Timotheum, ac tandem Apollo, de quo hucuſque, & facile etiam Titum (*a*). His autem adjutoribus Epheſinam Eccleſiam Paulum fundaſſe credimus (*b*), quam deinde ſua præſentia, & obitu S. Joannes Evangeliſta decoraverit. Sunt equidem qui doceant, eumdem Joannem, ac Petrum Apoſtolorum Principem prima illius Eccleſiæ fundamenta ante hoc tempus poſuiſſe; ſed hæc opinio ex eo reprobatur, quod ſolemne fuit Paulo ibi enunciare Evangelium, ubi nondum Chriſtus fuerat nominatus, ne ſuper alienum fundamentum ædificare videretur (*c*). *Paulus Eccleſiam Epheſinā fundat.*

X. Dum Paulus Epheſi moram traheret, duodecim fere nactus Diſcipulos, interrogavit, an Fidem amplexi, ipſúm quoque Spiritum ſanctum accepiſſent? Quibus reſpondentibus, ſe neque, ſi Spiritus ſanctus ſit, umquam audiviſſe, ait ille: Cujus ergo Baptiſmate abluti eſtis? Ad quem Diſcipuli: Joannis. Tunc Paulus: Joannes baptiſmo tingebat populos, ut credentes in Jeſum Chriſtum, qui mox erat pariturus, peccatorum veniam conſequerentur. His ita inſtructos ſtatim Baptiſmo a Chriſto inſtituto, in quo ſcilicet, præter Patrem & Filium, invocatur etiam Spiritus ſanctus, Paulus vel ſua, vel Diſcipulorum potius manu, ut ſolebat, initiavit. Porro ex hac nar- *Spiritus ſanctus ſuper Diſcipulos, a Paulo initiatos, illabitur.*



(*a*) Act. XIX. 22. 29. Calm. Gotti. XX. 4. 31. 2. Cor. VII. 13.
(*b*) Iren. Theodoret.
(*c*) Rom. XV. 20.

ratione evidentiſſime colligitur contra Calvinum, Chriſti Baptiſmum alium prorſus eſſe a Joannis Baptiſmo. Paulus baptizatos manuum impoſitione confirmavit, ac non intimo dumtaxat & inviſibili Spiritus ſancti illapſu, ſed & viſibili externoque effectu, Linguarum ſcilicet, & Prophetiæ dono, illos ditavit (*a*).

*Pauli prædicationem miraculis Deus illuſtrat.*

XI. Conſueto deinde muneri inſiſtens, trium menſium ſpatio Judæis inſtituendis operam dedit, ſed incredulos nactus, blaſphemanteſque Evangelium, illos deſerens, cœtus ſuos ſeorſum cum Diſcipulis agere cœpit, ſcholamque cujuſdam viri, cui nomen Tyrannus, diſputandi gratia per biennium frequentavit, excurrenſque ad vicinas urbes, vicoſque, indiſcriminatim omnibus Gentilibus Judæiſque prædicabat (*b*). Pluribus autem Deus Apoſtolum illuſtravit, ut vel *ſudaria* ipſa, & *ſemicinctia*, facile victæ, quibus caput obnubitur, & zonæ, quibus veſtes adſtringuntur, ex contactu corporis ipſius ſanandi morbos, pellendique Dæmones virtutem contraherent (*c*).

*Apollonius Thyanæus.*

XII. Diutius Paulum Epheſi permanſiſſe, frequentioribuſque ibidem prodigiis idcirco inclaruiſſe credimus, quod eo tunc forte adveniſſet Apollonius Thyanæus, Pythagoricus philoſophus, cujus vitam Philoſtratus ſcripſit, & ante hunc Damis ipſius peregrinationis comes. Apollonius præſtigiis ſuis omnes p... ſe avertebat. Hic Epheſi lue ſæviente, ad eam expellendam accitus, ſpopondit, ſe actutum

ſatis,

(*a*) Act. xix. 2. (*c*) Calm. in Act. xix.
(*b*) Act. xix. 10. xx. 19. 12.

ſatis votis omnium facturum; cumque iter ad theatrum convertiſſet, nactus eſt ſenem pauperrimum, pannoſumque, quem lapidibus conſici juſſit. Ægre licet, tamen populus paruit. Remotis autem lapidibus, quibus obrutus fuerat, pro viro canis extincti cadaver repertum eſt. Ita Apollonius urbem liberavit; qui proinde ſtatua & ſacris donatus, inter Divos ab Epheſiis relatus eſt (*a*). Epheſo relicto, mox in Græciam, deinde Romam venit, ubique magicis ſuis illuſionibus populos adeo dementans, ut illum Chriſto conferre, vel etiam præferre, aliqui conati ſint (*b*). Tandem honeſta capta occaſione ablegandi Diſcipulum ſuum Damidem ad Nervam Imperatorem, cum ille abiiſſet, occultam opetiit mortem, incertoque prorſus exitu extremam clauſit diem, quo immortalis crederetur, & in Cælum tranſlatus inſtar Chriſti, cujus gloriæ ſemper inviderat. Hoc enim Apollonii dictum refert Abulpharages: *Infelicem me hoc nomine reputo, quod poſt filium Mariæ in Mundum parui*. At Chriſtus obiit coram ingenti populo, ſe reſurrexiſſe a mortuis, pluribus, & frequenti apparitione per quadraginta dies comprobavit; ac tandem videntibus Apoſtolis, ceteriſque, quos ſecum adduxerat in montem Olivarum, Cælum aſcendit. Apollonio igitur, tanti nominis impoſtori, coercendo, vir Paulo par, qui plurimum verbo, plurimum opere valeret, opus erat.



(*a*) Philoſtr. l. 4. c. 1. alias 5. ad Marcellin. c. 4.
(*b*) Auguſt. Epiſt. 138.

*Paulus cum beſtiis pugnat.* XIII. Fallor, an huc alluſit Apoſtolus, ſcribens: *Ad beſtias pugnavi Epheſi?* Sunt, qui credant, luctam illam ipſiſſimum eſſe certamen, quod e Demetrio Argentario, mox referendum, Paulus ſuſtinuit (*a*). Verum ſententia hæc ex eo improbatur, quod Epiſtola ad Corinthios prima, ubi pugna cum beſtiis narratur (*b*), ante motam a Demetrio perſecutionem ſcripta videatur (*c*). Hieronymus beſtiarum nomine deſignari autumat Dæmones (*d*); quos tamen non ſolum Epheſi, ſed & ubique adverſarios Paulum expertum fuiſſe, ſcimus. Plures ex Antiquis, & Recentioribus tenent, Paulum revera ad beſtias expoſitum fuiſſe, indeque divinitus ſervatum (*e*). Sed tanti momenti rem Lucas non ſiluiſſet. Præſtat igitur, ut hæc de Apollonio, ejuſque Diſcipulis intelligamus; de Apollonio, inquam, qui cum avium cantus percipere crederetur (*f*), non immerito inter beſtias locum poſſet ſibi vendicare.

*Pauli Epiſtola ad Galatas.* XIV. Epheſo literas ad Galatas Paulum dediſſe, plurium eſt ſententia, quam & nos amplectimur, licet alii Nicopoli, aut Roma malint. Porro Galatas, ab ipſo olim inſtitutos, mali quidam Doctores a recto averterant, Legis

(*a*) Theophylat. Primaſ. Baron. Grot. Vide infra n. 20.

(*b*) 1. Cor. xv. 32.

(*c*) Uſſer. Pearſ. Tillem. Calm.

(*d*) Præfat. in l. 3. Expoſ. Ep. ad Epheſ.

(*e*) Cyprian. Chryſoſt. Theodoret. Hilar. Nicephor. Calm.

(*f*) Philoſtrat. l. 4. c. 1. Porphyr.

gis Moſaicæ & Circumciſionis neceſſitatem oggerentes, elevanteſque ipſius Pauli dignitatem & doctrinam, ſpargebant in vulgus, Apoſtolatus gloria illum minime fulgere, nulloque pacto cum Petro comparandum, ac doctrinis alienis Eccleſiam ab eo erudiri. Ad illos igitur Epiſtolam ſcripſit, qua Apoſtolatum ſuum, ab ipſomet Chriſto ſibi commiſſum, validiſſime ſtatuit, ſuam mirabilem converſionem narrans. Oſtendit præterea, Petrum una cum aliis Apoſtolis ſuam probaſſe doctrinam de Legalibus, eaque uſum fuiſſe, promiſcue cum Ethnicis veſcentem; & cum ſemel ab ea conſuetudine diſcedentem vidiſſet, ſe illum coram omnibus increpaſſe. Pluribus deinde allatis Scripturis probat, Circumciſionem, cæteroſque Legis Moſaicæ ritus inanes eſſe; in libertatem Filiorum Dei per Fidem nos aſſeri; Judæos ſemper ſervos extitiſſe; Jeſum Chriſtum omnia eſſe in omnibus. Addit poſtremo nonnulla ad mores vitamque recte inſtituendam opportuna. Porro ita Galatas alloquitur, ut quondam Gentiles fuiſſe, perhibeat. *Tunc*, ait, *ignorantes Deum*, *iis*, *qui natura non ſunt Dii*, *ſerviebatis*. Et alibi: *Si circumcidamini*; *Chriſtus vobis non proderit* (*a*). Quando ergo his illos increpat: *Quomodo convertimini iterum ad infirma*, *&* *egena elementa*, *quibus denuo ſervire vultis* (*b*)? minime ipſos hortatur, ne iterum Legi ſe ſubjiciant, quippe qui ei numquam paruerant; ſed ne ſub Lege eſſe incipiant, metu ne in antiquam Idolorum ſervitu-

(*a*) Gal. IV. 8. v. 2. (*b*) Gal. IV. 9.

tutem relabantur. *Elementa* enim hic quibuſdam ſunt Terra, Aer, Aqua, Ignis, ſive Aſtra a Gentilibus ſub Idolorum imagine pro Numinibus culta; aliis vero cenſentur Lex & Prophetæ, qui prima veluti Chriſtianæ Religionis primordia fuere. Sed facile nil aliud innuunt, quam ritus exteriores, quibus Gentiles non ſecus ac Judæi utebantur, licet diverſo Deo, diverſaque prorſus mente litarent. Vult ergo Paulus, ne Galatæ ad cæremonias religioneſque ſenſibus obnoxias revertantur (*a*).

*Prima Pauli ad Corinthios Epiſtola. Idolothylorum uſus.*

XV. Ex eadem urbe Epheſo ad Corinthios primam Epiſtolam pariter ſcripſit. Corinthii ad Fidem converſi, in varias ſectas Eccleſiam diſpeſcentes, alii Pauli, alii Apollo, alii Cephæ nomen præferebant; de qua quidem diviſione jam dictum eſt (*b*). Chriſtiana præterea libertate, quæ mundis omnia munda eſſe docet Fideles quidam abutentes, idolothytis, nulla abſterriti religione, veſcebantur. Mos enim erat Paganis æque ac Judæis, ut e ſacrificiorum quorumdam victimis pars Altari cremanda imponeretur, pars cederet Sacerdoti, pars hoſtiam ſufficienti, qui ſuo compendio vel illam venderet, vel cum familiaribus amiciſque manducaret. Imbecilliores nonnulli ex Chriſtianis, Hebræorum diſciplinam ſequuti (*c*), ea libertate ſcandalo afficiebantur, rati de carne Idolis mactata deguſtare, perinde eſſe, ac de ſacrificio impio, quadam criminis ſocietate, participare. Huic ſententiarum, morum-

(*a*) Vide Interpretes.
(*b*) Vide ſupra n. 7.
(*c*) Vide Eleazari hiſtoriam 2. Macch. VI. 23.

rumque diſcrimini, quod Fidei & caritati detrimento eſſe poterat, occurrit Paulus, docens, Idolum nihil eſſe, nullumque habere influxum, quo carnes polluantur. Hinç quæ publice venum exponuntur, in medio poſita ſunt, ut quis ea emere poſſit, & manducare, nihil interrogando *propter conſcientiam* (*a*). Ita ſi quis Paganus Fidelem aliquem apud ſe invitet, de appoſitis omnibus indiſcriminatim utatur, nihil interrogans ex eadem religionis cauſa. At ſi quis, ut ab eſu deterreat, monuerit, eas carnes Diis dicatas fuiſſe, abſtinendum erit, ne conſcientia monentis, qui earum uſum illicitum eſſe cenſet lædatur. Hæc Paulus de Idolothytis, a quibus tamen Chriſtianos generatim exinde ſe continuiſſe, compertum eſt (*b*).

*Inceſtuoſus Satanæ traditur. Vitandi peccatores, & lites.*

XVI. Corinthus vitiis ſe ſe ita dediderat, ut cultui, & religioni vel ipſa impudicitia haberetur. Veneris enim Fanum in ea erat, mille amplius meretricibus abundans, illi Numini a quibuſdam oblatis, quæ, cum aliqua calamitas avertenda eſſet, ad publicas preces adhibebantur (*c*). Ceterorum vitia nonnullos etiam ex Fidelibus adeo infecerant, ut illorum quiſpiam Novercam, patris ſui uxorem, polluere auſus fuerit. Hunc inceſtuoſum Paulus, abſens licet, ſpiritu ſe ſe cum Eccleſia Corinthiorum conjungens, nomine & auctoritate Jeſu Chriſti ab Eccleſiæ ſocietate removit,

(*a*) 1. Cor. x. 25.

(*b*) Vide hanc Hiſtor. l. 15. c. 8. n. 4.

(*c*) Strabo l. 8. & alii.

vit, tradiditque Satanæ, ut ab eo vexatus, ſalutarique probro per excommunicationis ſententiam obrutus, reſipiſceret, ſummumque malum extrema Judicii die vitare mereretur (*a*). Optabat etiam Apoſtolus, ut Fideles ab omnium peccatorum ſocietate ſegregarentur; at cum hoc fieri nequiret, præcepit, ut ſaltem ab iis Fidelibus ſe ſe removerent, qui magnis criminibus Eccleſiæ invidiam creabant. Monuit præterea Corinthios, ut lites devitarent, vel ſaltem illas coram Gentilibus non agitarent, ſed potius controverſias ſuas in Fidelium arbitrium remitterent, quibus a Deo vel Judicium de Mundo, ac de ipſis quoque Dæmonibus reſervatum eſt (*b*). Oppoſitis ſane operibus Electi in die Judicii Impiorum opera damnabunt, ſuo ſimul aſſenſu Divini Judicis ſententiam comprobantes.

*Sacri convivii abuſus.*

XVII. In primitivorum Chriſtianorum conventibus, poſt ſacrorum voluminum lectionem & preces, Chriſti Corpus & Sanguis Fidelibus guſtanda porrigebantur: tum habebatur in communi Charitatis convivium, Græcis *Agape* dictum. Porro Divites cœnam in locum ſacrum minime deferentes, ne in pauperes quicquam erogarent, domi accumbebant; vel ſi accumberent in Eccleſia, ſeorſum ab egenis veſcebantur. Corrigere volens Apoſtolus vitium hoc, Euchariſtiæ inſtitutionem narrat, in qua Chriſtus ſe ſe in cibum Diſcipulis omnibus æque præbuit, nullo perſonarum diſcrimine. Ob oculos deinde ponit immanitatem ſacrilegii

(*a*) 1. Cor. 5. (*b*) 1. Cor. VI.

gii eorum, qui Euchariſtiam indigne ſumere audent; qua de cauſa multi ex Corinthiis in morbos, feſtinatamque mortem inciderant (*a*).

*Abutuntur Corinthii Spiritus ſan. Cti donis.*

XVIII. Etiam circa Linguas, Prophetiam, Prædicationem, ceteraque Spiritus ſancti Dona, quibus Eccleſia tunc abundabat, abuſus irrepſerant. Alter alterum interdum in dicendo intercipiebat; aliquando tres, aut quatuor ſimul verba faciebant. Nonnulli alienis linguis, licet auditorum nemo eas perciperet, aut interpretaretur, utebantur. Qui conſpicua magis atque illuſtria dona obtinuerant, ceteros ſpernebant; qui minora, aliis invidebant. Mulieres ipſæ nudo capite Cœtum ingreſſæ, populum docebant. Vitia hæc reprehendit Apoſtolus, ac nedum non permittit, ut in Eccleſiis feminæ doceant, verum etiam vetat, ne interrogent ibi viros ſuos: ſi quid rogandum illis ſuccurrat, domi ab eis quærant: opportunius autem fore, ſi tonſæ in Eccleſiam venirent, quam velamine carentes, quæ quidem verecundia & modeſtia Angelis debetur, ſcilicet Angelis Cuſtodibus, ut multi interpretantur; vel Sacris Eccleſiæ Miniſtris, ut alii malunt (*b*). Cum varias difficultates, ſeu dubia, Paulo propoſuiſſent Corinthii, de ſtatu Virginum & Viduarum, deque Conjugatorum obligationibus, illa Apoſtolus reſolvit, oſtenditque, Viduis cedere Nuptas, Virginibus vero Viduas (*c*).

XIX.

(*a*) I. Cor. XI.
(*b*) I. Cor. XI. XII. XIV.
(*c*) I. Cor. VII.

*Baptiſmus pro mortuis.* XIX. Corinthi deceptores erant, qui Mortuorum Reſurrectionem negarent. Cum illam Apoſtolus pluribus probaſſet, potiſſimum vero exemplo Reſurrectionis Jeſu Chriſti, tandem adjecit: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt* (*a*)? Calmetus poſt recenſitas quatuor ſupra viginti hujus textus interpretationes, tandem Tertulliani, atque Hilarii Diaconi, multorumque tam ex Catholicis, quam ex Hæreticis, ſententiam amplectitur; quæ ſane legentibus prima ſuggeritur, nimirum quoſdam ſe ſe Baptiſmo abluiſſe pro neceſſariis, & amicis ſuis, qui eo Sacramento minime initiati deceſſerant, ſperantes illis profuturum in altera vita, quidquid ejuſmodi ipſi ſuperſtites eorum nomine præſtitiſſent. Quem tamen morem Apoſtolus non probat, ſed argumento, ut ajunt, ad hominem, urget in adverſarios. Si mortui ut aſſeritis, non reſurgunt, quid prodeſt ſacro fonte pro illis luſtrari (*b*): Berti explicationem Chryſoſtomi, Iſidori Peluſiotæ, Theophylacti, & aliorum complurium, præferendam cenſuit, quæ particulam illam *pro mortuis* interpretatur de corporibus morti obnoxiis, ut ſenſus ſit: Si futura non eſt carnis Reſurrectio, cur in ſpem Reſurrectionis baptizantur corpora, ita ex veſtra ſententia morti addicta, ut nunquam ſint immortalitate donanda (*c*)? Hæc tamen *mortuorum* interpretatio ad no-

(*a*) 1. Cor. xv. 29.

(*b*) De eo argum. ſcipl. l. 31. c. 22.

(*c*) De Theolog. Diſciplin. differt.

noſtra mortalia corpora denotanda, obſcura nimis atque detorta ipſi Calmeto videtur.

XX. Septem Filii Scevæ Principis Sacerdotum, per urbes diſcurrentes, Dæmoniacos adjurationibus curabant. Hos minime latebat, nomini Jeſu Chriſti, a Paulo prædicato, magnam ineſſe adverſus malos Spiritus vim. Quare cum ſemel Epheſi quemdam Energumenum ſanare ſuſcepiſſent, hac formula uſi ſunt: Adjuro vos per Jeſum, quem Paulus prædicat. Ad quos ſtatim Dæmoniacus: Jeſum novi, & Paulum ſcio; vos autem qui eſtis? Simulque a Dæmone exagitatus homo in duos ex illis irruens, fœde depexos, nudos, ſauciatoſque fuga ſe ſubducere coegit. Caſus filiorum Scevæ omnes terrore perculit, Chriſtique gloriam longe lateque provexit (*a*). Porro Sceva aut erat Princeps alicujus familiæ Sacerdotalis; aut pater, ſive avus illi fuerat aliquis ſummus Sacerdos; aut denique Judæis, qui Epheſi commorabantur, præſidebat. Frequentes autem fuiſſe apud Hebræos, Exorciſtas, obſcurum non eſt (*b*). Ignoramus tamen, utrum Judæi Dæmones cogere conſueverint, invocato veri Dei nomine, an aliqua damnata Magorum arte. In nullo ſane Veteris Teſtamenti Libro Legimus, Deum hujuſmodi adjurationes aut inſinuaſſe, aut comprobaſſe. Quin ex hiſtoria filiorum Scevæ contraria omnia inferrentur. Narrat enim S. Lucas, ex inde

*Filii Scevæ exorciſmis utuntur. Curioſæ Epheſiorũ artes.*

(*a*) Act. XIX. 13. Joſeph. Antiq. l. 8. c. 2.
(*b*) Matth. XII. 27. & de Bello l. 7. c. 25. Marc. IX. 31. Luc. IX. 42.

inde multos credentium ad Paulum ſe conferentes, peccata ſua faſſos fuiſſe, ſive generali confeſſione, ut plurimi putant (*a*), ſive particulari, ut alii malunt (*b*). Facile ii ex infortunio, quo Scevæ filii involuti fuerant, intellexerunt, quid criminis eſſet Magicas illas exorcizandi artes ſectari. Eodem etiam propius ſpectare videtur id quod idem Auctor ſubjungit, non raros ſcilicet, qui curioſis uſi fuerant, libros ſuos ea copia, ut pretium ad quinquaginta denariorum millia computaretur, in medium attuliſſe, ac concremaſſe. Quid autem *Curioſorum* nomine, niſi peſſimæ Magorum artes intelligerentur? Tandem ex Veterum narratione ſcimus, Libros Magicos, & barbaros quoſdam characteres, voceſque ænigmaticas, aptas, ut ferebatur, ad mira patranda, celebre Epheſiis peperiſſe nomen (*c*).

*Perſecutio Epheſi a Demetrio excitata.*

XXI. Aſſiduis Pauli & ſociorum prædicationibus, ac fama miraculorum, quæ Deus in Evangelii confirmationem patrabat, Fides creſcebat, confirmabaturque. Quare Apoſtolus iter Epheſo Hieroſolymam per Macedoniam & Achajam diſpoſuit, ut Romam inde pergeret, quippe qui ardebat a multis jam annis deſiderio illius Eccleſiæ inviſendæ, juvandæque (*d*). Verum præmiſſis Timotheo, & Eraſto in Macedoniam, aliquamdiu ipſe in Aſia ſubſtitit. Quo

(*a*) Eraſm. Cajet. Vega, Lorin. Fromond.

(*b*) Salmer. Baron. Sanct. Cornel. Bellarm.

(*c*) Suid. Plutarch. Euſtat. Clem. Alex. apud Calm. in Act. XIX. 19.

(*d*) Act. XIX. 21. Rom. I. 10. 13. XVI. 23.

Quo temporis intervallo ſeditio a Demetrio quodam argentario excitata Eccleſiam turbavit. Epheſi erat Templum Dianæ ſacrum, quod inter Orbis miracula referebatur. Operi abſolvendo anni ducenti & viginti, ſumptuſque Aſiæ Minoris univerſæ impenſi fuerant. Inſtruebatur columnis centum & viginti ſeptem, quas ſingulas ſinguli Reges poſuerant. Porrigebatur in longum pedes quadringentos viginti quinque, ducentos viginti in latum. Muneribus plane ditiſſimis, & eximii operis ſimulacris ſuperbiebat, induſtriamque ſapientiſſimorum geminæ ætatis artificum exercuerat (*a*). Comparandæ ſibi famæ ex tanto facinore Eroſtratus igne illud perdidit ipſa eadem nocte, qua Alexander Magnus natus eſt; ſed e cineribus deinde ſurrexit. Porro Dianæ ſimulacrum, ibi cultum, non exhibebatur cum arcu, & ſagittis, ſed perpetuis mammillis veſtitum uſque ad pedes, vel ſaltem uſque ad ventrem; inferiora vero deſinebant in baſim per intervalla capitibus canum, boum, cervorumque ornatam; quam regebant pedes Numinis, qui nudi prodibant (*b*). Ferebatur autem, ſtatuam illam e Cælo delapſam fuiſſe; de cujus materia variæ erant ſententiæ: rudem enim ulmi truncum quidam faciebant, alii quernam, alii cedrinam; alii ex argento, ex ebore, ex ebano, ex vite. Eo autem ex univerſo Orbe confluebant Gentiles, quorum

 ſuper-

(*a*) Plin. l. 36. c. 14. Felic. in Octav. Triſtan. Strabo l. 10. apud Calm. ibid.

(*b*) Hieron. Minut.

ſuperſtitio parvas Templi ædiculas, in quibus Dianæ icunculæ viſebantur, avide emebat, ut illas Numini offerrent voti cauſa, aut ſecum deferrent amuletorum loco (*a*). Suſpicati ſunt quidam, ædiculas, de quibus ſcribit S. Lucas, numiſmata fuiſſe, Templum Dianæ Epheſiæ inſculptum exhibentia, ex quibus nonnulla adhuc ſuperſunt (*b*). Utcumque res habuerit ſe ſe, quidam Demetrius argentarius, qui confingendo illas ædiculas, ſive numiſmata ingentem pecuniam colligebat, ſociis oſtendit, de arte ſua, & quod maxime cavendum erat, de cultu Dianæ actum eſſe, ſi Religio a Paulo prædicata invaleſceret. His commoti, clamare omnes: *Magna Diana Epheſiorum*: cœptamque ab argentariis ſeditionem populus ſecutus eſt, brevique urbs univerſa exarſit. Deducti proinde in theatrum, conſuetum publici cœtus locum, a ſeditioſis Gajus & Ariſtarchus, qui comites Paulo adhæſerant. Volebat Paulus ipſe prodire, ſed amicorum conſilio abſtinere coactus eſt. Inter hæc, Alexander quidam Judæus populum ſedare tentabat, ſed, ut cognóverunt, ipſum eſſe Judæum, iterum exclamarunt: *Magna Diana Epheſiorum*: qua quidem cantilena duabus ſolidis horis perſeveratum eſt. Utrum autem hic Alexander etiam Religione eſſet Judæus, an ad Chriſtianorum Sacra translatus, hoſtiſne Pauli, an amicus, ignoratur. Si primum, facile pro concione totam culpam ex Judæis in Chriſtianos transferre meditabatur.

(*a*) Sanct. Grot. Cornel. Men. Tir. Eraſm. alii.

(*b*) Beza Piſcat. Fromond.

tur. Tandem Scriba, populi ægre ſedato tumultu, aſſeruit, falſo tamen, nihil Dianæ cultui ab aliquo umquam derogatum; quare ſublatos clamores, non Religionis, ſed potius ſeditionis videri. Ceſſarent igitur, niſi in ſiniſtram ſuſpicionem venire vellent. Si quid autem querelarum haberent, Proconſulem adirent, nec populum turbarent. His dictis, cœtum dimiſit, & Paulus poſt dictum Diſcipulis vale, iter in Macedoniam direxit.

*Paulus alteram ad Corinthios Epiſtolam ſcribit. Illius raptus, & tentatio. Epiſtola ad Romanos. Prædeſtinatio ad Gratiam eſt gratuita; an etiam ad Gloriam? Num Paulus in Hiſpaniam iverit? Philoſophis Gentilibus nulla ſalus. Divinitas Chriſti aſſerta. Paulus mortuum excitat, & Epiſcopos alloquitur.*

## CAP. XI.

ANNO CHRISTI 57.

*Altera ad Corinthios Epiſtola, in qua de Pauli raptu & tētatione.*

I. CONſcendens igitur Troade navigium, junctoque ſibi Timotheo (*a*), ambo in Macedoniam venerunt. Venit illuc & Titus (*b*) quem alio diſcipulo, nempe Luca, ſive Barnaba, aut Sila, *cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*, ſociatum, Corinthium miſerat, ut per illos, quem ſua Epiſtola Corinthiis ſenſum inſpiraſſet, addiſceret. Ex Titi autem adventu maximam Paulus lætitiam percepit; quippe Fideles ab inceſtuoſo, qui no-



(*a*) Act. xx. 1. & 2. Cor. II. 12.

(*b*) 2. Cor. VII. 5. VIII. 16.

vercam polluerat, ſe omnino ſeparaſſe, ut ipſe præceperat, intellexit; qui tamen ipſum pro illius venia orabant, jam pœnitentis, & ad bonam frugem reverſi. Paulum etiam certiorem fecit Titus de pacata Corinthiorum diſſenſione, deque collectis pro Fidelibus Palæſtinæ eleemoſynis. Dolorem tamen ſatis etiam idcirco exhauſit Apoſtolus, quod eorum quidam ab impudicitiis penitus non deſtitiſſent (*a*), quodve prætgrea falſi quidam Doctores, Moyſis Legi obtemperandum docerent, ipſumque Paulum Legis everſorem, qui nec a Chriſto, neque a primis Apoſtolis miſſus fuiſſet, appellarent (*b*). His intellectis, alteram ad Corinthios Epiſtolam ſcripſit, in qua narrat, ſe eadem caritate, qua illos viſitare per ſe ipſum decreverat, fuiſſe detentum, ne ſcilicet durius quam vellet erga quoſdam refractarios agere cogeretur; eos laudat, quod optime cum inceſtuoſo egerint, cui illorum gratia indulget; ut large eleemoſynas conferant, hortatur; monet, ut debitas pœnas de ſuis ipſi criminibus expetant, ne cum ipſe venerit, flagellum excutere cogatur; contra eos qui ſibi detrahebant, invehitur. Suum proinde munus efferens, revelationes a Deo ſibi factas, alienum a cupiditate animum ſuum, perſecutiones, & exantlatos a ſe labores commemorat. Inſigne etiam beneficium, quod ante quatuordecim annos a Deo acceperat, ac ſemper ſiluerat, ſola ſe ſe defendendi neceſſitate expoſuit, raptum ſcilicet ſe uſque ad tertium Cælum & in Paradiſum, ubi audivit arcana verba,

(*a*) 2. ad Cor. XII. 2. (*b*) Ibid. XI. 21.

ba, quæ non licet homini loqui. Unam eamdemque ſedem duplici *Cœli*, & *Paradiſi* nomine complures intelligunt (*a*). Sed alii diſtinguunt, cenſentes, Paradiſum eſſe locum quietis, in quo Juſtorum animæ ante Chriſti Reſurrectionem detinebantur; Cælum vero ipſam Beatorum ſedem (*b*). Ait autem *tertium* Cælum, quod Hebræi tres tantum Cælos agnoſcant. Primum aereum, ubi nubes & aves; alterum, in quo Aſtra; tertium Angelis & Beatis deſtinatum. An autem res a Paulo ſpectatæ auditæque, fuerint ſe ipſis ineffabiles, ſeu potius Deus ipſi non permiſerit ut eas manifeſtaret, ambigitur. Profecto ſi ipſam Dei naturam clare vidit Apoſtolus, de quo Theologi minime conveniunt, nemo negaverit, ipſum vidiſſe quod hominum intelligentiam ſermonemque vincit. Porro ipſemet Paulus ignorare ſe dicit, utrum tunc animus ſuus a corpore revera diſceſſerit, temporariæ quodam mortis genere; an ſenſus dumtaxat, reſque ſenſibus obnoxias exceſſerit; an denique animus una cum corpore abreptus fuerit. Utcumque res ſe ſe habuerit, ita Paulus laudes ſuas recitavit, ut vim, quam modeſtiæ ſuæ inferebat, ſatis exhiberet. Quin palam aſſeruit, datum ſibi *ſtimulum carnis*, ſeque ab Angelo Sathanæ colaphizari, ne divinis donis ſuperbiret (*c*). Sed quid hæc ſibi volunt? Morbuſne erat aliquis, a Diabolo Pauli corpori indu-



(*a*) S.Auguſt.S.Thom. Vide ſupra c. 5. n. 2. Eſt. Hammon.

(*b*) Grot. Druſ. alii.

(*c*) 2. Cor. XII. 7.

ctus (*a*)? an verbera, verique colaphi, ab eo, ſive ab ejus miniſtris Paulo inflicti (*b*)? an ſcrupuli, timoreſque conſcientiæ ex vita ante converſionem acta (*c*)? an odium adverſariorum, molitioneſque contra Evangelium (*d*)? an turpes concupiſcentiæ motus, quos Paulus pateretur invitus (*e*)? Hoc ipſum putamus; quod alibi idem Apoſtulus expreſſius facile ſignificaverit: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* (*f*). Sæpius autem Paulus Dominum rogavit ut a tentatione hac liberaretur; at reſpondente Deo, ſufficere illi gratiam ſuam, virtutemque inter ærumnas perfici, ſiluit, divinæque Providentiæ conſiliis demiſſo animo ſe ſe ſubjecit. Epiſtolam, in qua hæc referuntur, Philippis ſcriptam quamplures autumant; eamque Tito, duobus fratribus, quos & laudibus quammaxime extollit, eidem ſociis adjectis, deferendam commendavit. Annus circiter elapſus fuit, ex quo priorem ad Corinthios Epiſtolam Paulus dederat.

*Epiſtola ad Romanos.*

II. Peragrata poſt hæc Macedonia, ipſe Corinthum ſe contulit, datam ea de re fidem ſuam liberaturus (*g*); quæ eſt tertia Apoſtoli eo profectio (*h*). Quid ibi egerit, exploratum

(*a*) Baſil. Auguſt. Hieron. Beda, Eraſm. Grot.
(*b*) Calvin. Bez. Hamm. Camerar. Cleric.
(*c*) Sclater.
(*d*) Chryſoſt. Theodoret. Ambroſiaſt. Primaſ.
(*e*) Auguſt. Hieron. Thom. Bellarm. Eſt. Cornel. Tirin. Menoch.
(*f*) Rom. VII. 23.
(*g*) 1. Cor. XVI. 16. 17.
(*h*) 2. Cor. XII. 14. XIII. 1. Act. XX. 2.

tum non eſt; ſed S. Auguſtinus ſuſpicatur ſanxiſſe ibi ea quæ ad Sacrificium Euchariſtiæ pertinent, ac præſertim ſtatuiſſe, ut a jejunis ſuſciperetur, & non in conſuetis cœnis (*a*). Multorum etiam ſententia eſt, Epiſtolam ad Romanos Corintho tunc Paulum ſcripſiſſe; ibi enim ſat temporis ad id præſtandum habuit, trium ſcilicet menſium ſpatium, pluresque qui Romanos ſalutent, Corinthios nominat, ac tandem illam per Phæben Corinthi Diaconiſſam tranſmiſit (*b*). Paulo ſcribendæ huic Epiſtolæ Tertius fuit amanuenſis (*c*); quem aliqui cum Sila confundunt, quod Sibas hebraice idem ſonet ac latine Tertius. Epiſtola hæc ordine prior inter Paulinas ceteras, quamquam non omnes tempore præcedat, conſtituta eſt. Datum id Romanæ Eccleſiæ Dignitati, ſive Romanorum Fidelium merito, aut myſteriorum quæ in ea continentur, ſublimitati. Scribendi autem Apoſtolo conſilium fuerunt domeſticæ quædam in Romana Eccleſia diſſenſiones inter Judæos, & Ethnicos Fideles exortæ. Judæi enim generis ſui, atque divinarum ad Patres promiſſionum privilegio, primas in Eccleſia ſupra Fideles ex Ethnicis affectabant; quippe quos extraneos & nonniſi gratuito atque diſpenſatione quadam in Eccleſiam accitos habebant. Fideles viciſſim ex Ethnicis Sapientum & Philoſophorum ſuorum merita virtuteſque afferebant, ſervata apud eos Legis naturalis jura dictitantes. Judæi autem, adde-



(*a*) Auguſt. Epiſt. 118. c. 6.

(*b*) Rom. XVI. 1. 2. 21. 23.

(*c*) Ibid. 22.

addebant, in Legem Dei refractarii, quem in criminibus, non ipſi tantum, ſed & Patres eorum, modum ſervarunt? Hinc præcluſus Judæis ad Fidem aditus, apertus Ethnicis, quorum præ Judæis ſcelera minora haberentur. His diſſidiis componendis, Apoſtolus utrorumque audaciam verbis caſtigans, amborum populorum peccata exaggerat, quorum ſane merito utroſque a Fidei & Vocationis gratia excludendos demonſtrat. Quin etſi Judæi, uti & Ethnici Legibus ſuis obedientes fuiſſent, quid propterea hæc ad Juſtificationis meritum? Nihil enim, ait Paulus, ad Juſtitiam conferendam, niſi Fides, Caritate conjuncta, cui bona opera accedant, conferre potuit. His jactis fundamentis, gratuitam Judæorum æque ac Ethnicorum Vocationem firmat. Plura equidem diſſerit de Judæorum ſupra Ethnicos prærogativis; ſed illas ex Dei voluntate, non ex illorum merito repetit, ingeſto Jacobi, & Eſau exemplo, quorum alter alteri ſervire deſtinatus eſt, antequam in lucem ederentur, aut aliquid boni, vel mali egiſſent (*a*). Hinc ſenſim ad Prædeſtinationis & Reprobationis myſteria tranſit, illiſque explicandis, quamvis ad argumentum parergon videatur, præcipuam Epiſtolæ partem impendit. Porro gratuitam prædeſtinationem ſtatui a Paulo, ſatis convenit, ſive loquatur de prædeſtinatione ad gratiam & fidem, ut nonnulli autumant; ſive de prædeſtinatione ad gloriam, æternamque felicitatem, ut plures contendunt; ſive de præ-
deſti-

(*a*) Rom. IX. 11. Gen. XXV. 22.

deſtinatione ad utramque, ut ceteri malunt; quod etiam innuere videntur hæc Apoſtoli verba: *Quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, hos & glorificavit* (*a*). Aptiſſimas deinde præſcribit formandis moribus regulas (*b*); qua in re nihil ab intentu Operis, componendi videlicet domeſticas lites, recedit. In falſos Apoſtolos invehitur, evitandoſque Fidelibus denuntiat. Venturum ſe Romam pollicetur, & inde in Hiſpaniam tranſiturum (*c*); cujus promiſſionis primam partem certiſſime implevit; an autem & alteram, aliqui affirmant (*d*), alii negant (*e*), ceteri hærent ſuſpenſi (*f*). Officioſa tandem peroratione Epiſtolam Apoſtolus claudit, ſalutari inſuper ſuo, aliorumque nomine jubens quoſdam Eccleſiæ Romanæ viros. Quamquam Romam, & ad Romanos miſſa, Græcis tamen literis exarata eſt. Sed familiare erat Romanis Græci ſermonis eloquium; ipſe vero Paulus forte literas Latinas minime callebat, Hebræis, Græciſque tantum inſtructus.

III. Nonnulla habet Apoſtolus in hac Epiſtola, ex quibus Gentilium, qui ductum luminis rationis ſequentes, vitam egerunt innocuam, ſalus adſtrueretur. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco; non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.*

*Utrum probis Gentilibus ſalus contigerit.*

(*a*) Rom. VIII. 30.
(*b*) Rom. XII. XIII. XIV. XV.
(*c*) Rom. XV. 21.
(*d*) Epiph. Chryſoſt. Hieron. Gregor. Baron. Gotti.
(*e*) Gelaſ. S. Thom. Scot.
(*f*) Eſt. Grot. Tillem.

*Deum . Si præputium* ( Gentilis ) *juſtitias legis cuſtodiet, nonne præputium illius in Circumciſionem reputabitur* (*a*)? Hæc ſane innuere videntur, Deum pari benignitate omnes complecti, & ad gloriam, felicitatemque æternam ducere cum Judæos, tum Gentiles, modo leges ſcriptas, aut naturales ſervaverint. Nec dicas, Paulum hic agere de Gentilibus Judæiſque ad Chriſti Fidem converſis; nam tota orationis ſeries indicat, agi de iis qui ante Chriſti adventum, & Evangelii prædicationem vixere. Pro ſententia Gentilibus favente, præter S. Juſtinum, Clementem Alexandrinum, Origenem, S. Jo. Chryſoſtomum, Hilarium Diaconum, laudantur Toſtatus, Catharinus, Eraſmus; quorum poſtremus ſcripſit: *Parum abeſt ut dicam : Sancte Socrates, ora pro me* (*b*). Ratio etiam Paganis ſuffragatur; iis enim a ſalute excluſis, Dei miſeratio arctis nimis limitibus clauderetur. Præſtat ergo ut dicamus, Deum omnibus providiſſe, Gentibus Philoſophia, Judæis Lege, Chriſtianis Evangelio. Hæc pro illa opinione; quæ tamen cum ad trutinam theologicam revocatur, cumque Gentilium etiam proborum dogmata moreſque propius ſpectantur, in ſententiam oppoſitam ire compellimur. Conſtat utique *ſine Fide impoſſibile eſſe placere Deo* (*c*); conſtat *Fidem ſine operibus mortuam eſſe* (*d*); conſtat tandem, abſque Fide ſaltem, uti vocant,

(*a*) Rom. II. 10.26.
(*b*) Vide diſſert.Calm. de hoc argum.
(*c*) Hebr. XI. 6.
(*d*) Jacob. II. 26.

cant, implicita in Chriſtum, ſive Meſſiam, nemini conceſſum eſſe ut ſalutem obtineat. *Nec enim aliud nomen datum eſt hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri* (*a*). Porro Gentiles, de quibus magna prædicantur, Socrates, Plato, Seneca, pareſque Philoſophi, Fide deſtituti creduntur, & Meſſiam omnino ignorabant. Quis ergo audeat tales homines in ſalutem immittere? Fatetur quidem Apoſtolus, illos creaturis inſpectis in Dei cognitionem veniſſe; addit tamen continuo, illos ipſos *Deum non tanquam Deum glorificaſſe, aut gratias ei egiſſe, ſed evanuiſſe in cogitationibus ſuis*, vitamque egiſſe Dei cognitione prorſus indignam (*b*); quod ab Apoſtolo aſſertum, ex Hiſtoriæ fide plus nimio confirmatum eſt. Alii enim, quamquam Idololatriam inane eſſe commentum minime dubitarent, Sapientis tamen eſſe dicebant, multitudini indulgere, exterioremque ab ea ſervatam religionem colere (*c*). Alii fædis corruptiſque moribus ſe ſe inquinabant. Nonne maſculorum concubitus Soloni, Zenoni, Platoni, Ariſtoteli, Lycurgo tribuitur (*d*)? Quin ipſi Socrati, quem adeo ſuſpexit Antiquitas, perditus puerorum amor vitio datus eſt (*e*). Prætereo Epicureorum, Cynicorumque neſanda, quæ omnibus comperta ſunt. Alii per-

(*a*) Act. IV. 12.
(*b*) Rom. I. 21.
(*c*) Plato in Timæos Varro, & Seneca apud Auguſt. de Civit. l. 4. c. 27. & l. 6. c. 9. & 10.
(*d*) Vide Calm. in Rom. l. 27.
(*e*) Juvenal. Satyr. 2. Menag. not. in Laert. l. ſegm. 138.

pernicioſiſſimos errores de Fato, de animorum interitu, aut tranſmigratione, de fornicatione, de uxorum communione, de furto, de morte ſibi inferenda, aliiſque ſexcentis, invexerunt; ut nil ſit tam putidum, ineptumque, quod Philoſophus aliquis ſerio non docuerit. Quare Auguſtinus ſcripta Philoſophorum, præſertim quæ ad mores pertinent, nuncupat *magna magnorum deliramenta Doctorum* (*a*). Omnes audaces & ſuperbi tantum ſe habere virium, & ſcientiæ ajebant, quantum vitiis exſcindendis, virtutibus acquirendis ſufficeret. *Det vitam Deus, det opes; æquum animum mi parabo* (*b*). Hæc Philoſophorum precatio. Quis unquam, dicebat ex illis unus (*c*), de virtute ſua grates diis egit? Tandem quando in Gentilium factis nullum eſſet flagitium, nullus in dictis error, nemo ſane inter illos inveniretur qui Deum, quem utcumque noverat, debito modo coluerit, amaverit, timuerit, quo ſalutem ab ipſo conſequi valeret. Objectis autem ita reponimus. Gloria, & ſalus omnem hominem bonum operantem equidem manet, ſive Judæus fuerit, ſive non, uti Sethus, Nohemus, Melchiſedechus, Jobus, aliique illis ſimiles, qui vera fide, quæ per caritatem operatur, præditi fuerant. Patres, qui pro ſententia contraria laudantur, non prius in ſalutem Gentiles admiſere, quam ad partes Chriſti illos tranſtulerint, ſive cum mortalem ad-

(*a*) Auguſt. ſer. 241. l. 1. c. 6. alias de temp. 143.
(*b*) Horat. epiſt. 18.
(*c*) Cicer. l. 1. de Nat. Deor.

adhuc vitam agerent, rati, quæcumque Philoſophi vera ſentirent, hauſiſſe illos e Veritate æterna, nempe Jeſu Chriſto, ut S. Juſtino viſum eſt; ſive poſt mortem, ſtatuentes, Jeſu Chriſto, vel Apoſtolis in Inferno prædicantibus illos credidiſſe, quod Clementi Alexandrino, Origeni, Hilario Diacono, aliiſque nonnullis aſſertum eſt. Sed poſterior hæc opinio alibi rejecta eſt (*a*). Prior vero, quæ S. Juſtino arriſit, æque rejicitur; nam obſcura illa Dei notitia, ſive *fides late dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo, ad juſtificationem minime ſufficit*, uti Innocentius XI. declaravit (*b*). S. Joannes Chryſoſtomus, ſi quando aſſeruit, ante Chriſti adventum neceſſariam non fuiſſe Fidem, explicandus eſt de Fide explicita, ut cum ceteris Patribus concilietur. Idem dicas, ſi potes, de Toſtato, & Catharino; nam Eraſmum non curamus, quem Bellarminus inter Semichriſtianos recenſet. Tandem ad miſericordiam Dei quod ſpectat, omnes ille vocat ad fidem. & ſalutem, nullo Judæi, ſeu Gentilis diſcrimine (*c*), quamquam non omnes efficacibus, ac fulgentiſſimis auxiliis inſtruat, ut ea aſſequantur; quod quidem ſingulare beneficium nemini largiri tenetur. Provocatus autem illorum contemptu, & nequitia, qui vocationi reſiſtunt, nova in flagitia ruere patitur, non impellens certe, aut ducens, ſed ulteriora auxilia non largiens, ipſoſque ſibi relinquens, Imperatoris inſtar, qui

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 14. c. 4. n. 16.

(*b*) Prop. 23.

(*c*) Rom. III. 22.

qui ſeditioſam militum cohortem ibi deſtituat, ubi prælium gravius incumbit (*a*).

*Chriſti Divinitas aſſeritur.* IV. Habes in eadem Epiſtola luculentiſſimum pro Meſſiæ Divinitate argumentum. *Ex quibus* (Judæis) *eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula* (*b*). Eraſmus, & Grotius, nomen Dei in textum irrepſiſſe putant, quod apud Cyprianum, Hilarium, & Chryſoſtomum, Apoſtolum laudantes, nomen illud non legatur; vel interponendum eſſe colon poſt *carnem*, ut verba illa, *Qui eſt ſuper omnia Deus*, novam ſententiam conficiant, ad Patrem, non ad Chriſtum referendam. Horum poſtremo confutando dicimus, particulam *qui* relationem habere ad præcedentia, notamque eſſe veteris, non novæ orationis. Ad alterum reponimus Græcos omnes Latinoſque Codices Epiſtolæ conſtanter habere nomen Dei; quibus aſſentiuntur verſiones Arabicæ, Cophtica, Armena, Syriaca, & Patres omnes, Ario tum antiquiores, tum recentiores. Quid autem ad hæc argumentum negativum, ex tribus illis Patribus, Cypriano, Hilario & Chryſoſtomo, deſumptum, valeret? Sed & illos a ceteris non diſcrepare, ſi incorrupti eorum Codices conſulantur, & toti legantur, plures oſtendunt (*c*). Denique etſi Dei nomen deeſſet, Chriſti tamen Divinitas inde adhuc probaretur, quoniam *eſſe benedictum in ſæcula*, uni

Deo

(*a*) Chryſoſt. hom. 3. in Rom. I.

(*b*) Rom. IX. 5.

(*c*) Calm. hic., & Berti l. 7. c. 11.

Deo convenire poteſt. Hæc de Epiſtola ad Romanos notaſſe ſufficiat.

V. Conſtituerat quidem Paulus, maritimo itinere in Syriam, & Hieroſolymam ex Achaja, ſive Corintho, proficiſci, ſepoſitas e collecta ſtipe pecunias eo pro ſublevanda fratrum inopia aſportaturus. Sed certior factus, ſtrui ſibi inſidias a Judæis, ſive corruptis piratis, ut navim aggreſſi, ipſum caperent, ſive latronibus diſpoſitis per loca, quæ pertranſire illum neceſſe erat; hinc illorum conſilium eluſurus, terreſtri itinere, quantum fieri poterat, ire decrevit. Digredientem igitur uſque Philippos Sopater, vel Soſipater, Ariſtarchus, Secundus, Cajus, Timotheus, Tychicus, & Trophymus comitati ſunt; quos Phylippis Apoſtolus rogavit ut ſe ſe prævertentes Troadem pergerent, ibique adventum ſuum opperirentur (*a*). Ipſe interim ea in urbe cum Luca ſubſiſtens Paſcha celebravit; nec Philippos niſi poſt Azymorum dies, id eſt poſt octavam Paſchæ, reliquit. Maritimo itinere inde Troadem venit, ubi hebdomada moratus eſt. Die autem Dominica, mane alterius diei digreſſurus, diſcipulis, ad frangendum panem, ſive Euchariſtiam ſumendam, coeuntibus, verba fecit, quæ ad tertiam uſque noctis vigiliam produxit. Accidit interea, ut adoleſcentulus quidam, nomine Eutychus, qui feneſtræ aſſidens, Paulum audiebat, ſomno oppreſſus e tertio ſolario domus præceps decidens occumberet. Paulus ſtatim ad illum procurrens, ample-

*Paulus Judæorum inſidias vitat, & mortuum reſuſcitat.*

(*a*) Act. xx. 3. Rom. xvi. 21.

plexu cadaver fovit, vivumque reſtituit. Inde ad cœtum regreſſus, cibo cum illis recreatus eſt, prorogatoque ad auroram colloquio, tandem diſceſſit. Commiſſis autem mari ſociis, ipſe pedeſtris Aſſon, alio nomine Apolloniam, petiit; ibi cum illis navim conſcendens, Mitylenen in Inſula Lesbo delatus eſt; indeque ſolvens, ſequenti die venit Chium, altera Samum, tertia denique Miletum, celebrem urbem ad oras & in provincia Cariæ. Quoad vero Hieroſolymitanum iter ad Feſtum Pentecoſtes præſtolaretur, Epheſinæ, & vicinarum Eccleſiarum (*a*) Majores natu, ſcilicet Sacerdotes, & Epiſcopos (*b*), eo ad ſe accivit.

*Paulus Epiſcopos alloquitur.*

VI. Cum vitæ a ſe apud illos actæ inſtitutum expoſuiſſet, eoſque in teſtes aſſumpſiſſet ſuæ humilitatis, perpeſſionum, lacrymarum, & zeli, quo Judæis æque ac Gentilibus prædicaverat, tandem ſignificavit, ſe vi Spiritus ſancti, ceu quibuſdam catenis vinctum ligatumque Hieroſolymam trahi, futuri quidem eventus incertum, ſcire tamen, plurima ſibi in ea urbe imminere mala, uti per urbes diſcurrens identidem ab eodem Spiritu ſancto, facile per ora Prophetarum, qui in Eccleſia tunc florebant, præmonitus fuerat. Nil tamen ſe remoraturum profeſſus eſt, quin commiſſo ſibi muneri totus inſiſteret. Commendata deinde illis Eccleſia Dei, quam ille ſanguinis ſui pretio ſponſam ſibi adjunxerat, quamque falſi Doctores luporum inſtar vorare adnitebantur, datiſque ſaluberrimis monitis, ingeſtoque exemplo ſuo,

(*a*) Iren. l. 3. c. 14. (*b*) Act. xx. 11. 28.

ſuo, ac prolata Chriſti ſententia: *Beatius eſt magis dare, quam accipere*: quo terrena omnia contemnerent, ſuarumque manuum labore ſibi aliiſque neceſſaria compararent, poſt fuſas preces, poſt amplexus & oſcula, ſupremumque Vale, navigium tandem conſcendit. Ad Chriſti ſententiam quod pertinet, fruſtra illam in Evangelio quæras, ſed eam diſcere potuit Apoſtolis ab aliquo Diſcipulo, qui illam ex Chriſti ore audierit.

*Agabus Paulo vincula prædicit, Paulus Legalia exercet. A Judæis captus ſuam converſionem narrat. Alapa cæſus in Concilio ſuam cauſam tuetur. Judæorum in Paulum conjuratio. Lyſias Paulum Cæſaream mittit, ubi coram Felice ſe defendit. Felicem & Druſillam alloquitur. Feſto in Judæos inclinante, Cæſarem appellat. Verba coram Agrippa facit, a quo inſons judicatur.*

## CAP. XII.

I. RE&a Paulus Coum, deinde Rhodum, ac demum Pataram venit. Hic alia conſcenſa navi Tyrum in Syria appulit. Tota hebdomada cum Diſcipulis, quos ibi invenit, ſubſtitit. Quamvis autem moneretur ab eis, ne Hieroſolymam peteret, ſi nollet vinculis alligari; priori tamen conſilio inhærens, tandem digreſſus, Ptolemaidem primum, ac poſtea Cæſaream ad Philippum, unum ex ſeptem Diaconis, cui quatuor erant filiæ vir-

ANNO CHRISTI 58.

*Agabus Paulo vincula prædicit.*

gines & Prophetides, divertit (*a*). Verſante ibi Paulo, Agabus Propheta, qui & famem ſub Claudio olim prænuntiaverat, a Judæa ſuperveniens, Apoſtolum ſocioſque ſalutavit, ſumptoque Pauli cingulo, manus ſuas & pedes alligavit, ſimul addens; virum, ad quem cingulus ille ſpectabat, eadem a Judæis Hieroſolymæ paſſurum, tradendumque inſuper ab eis in Ethnicorum poteſtatem. His viſis auditiſque, omnes qui aderant, Paulum hortabantur ne iter proſequeretur. At Paulus nihil propterea territus, aut a propoſito dimotus, & carcerem & mortem ipſam pro Chriſto ſe libentiſſime paſſurum profeſſus eſt. Hinc diſcimus, Spiritum ſanctum interdum ſiniſtros incepti alicujus eventus aperire, non ut manus ab eo retrahantur, ſed ne quis concidat animis, & ut alacrior prævisum periculum ſubeat.

*Paulus in Templo Legalia ſervat.*

II. Paulus tandem Hieroſolymam perveniens una cum Mnaſone, ſive Jaſone, Cyprio, apud quem Apoſtolus ſociique hoſpitio ea in urbe excipiendi erant, ingenti lætitia Fratres affecit. Altera autem die ad ſalutandum Jacobum Urbis Epiſcopum, qui unus tunc facile ex Apoſtolis ibi verſabatur, Paulus ſe contulit, coactiſque illuc omnibus Sacerdotibus univerſorum geſtorum ſuorum narrationem proſecutus eſt. Illi, poſt actas Deo gratias, virum monuerunt, ingentem eſſe numerum eorum qui legales ritus cum Evangelio ſociabant; ipſum vero apud illos invidiam

(*a*) Act. XXI. 1. 2.

diam ſubiiſſe, quaſi Judæos inter Ethnicos extra Palæſtinam degentes docuiſſet, a Lege Moſaica, & a puerorum Circumciſione abſtinendum eſſe. E re tua eſt, adjecerunt, ut ſiſtas ſe coram Eccleſia ex Judæis fidelibus collecta, teque ab objectis criminibus purges. Quin & neceſſarium ducimus, ut nedum mentem tuam voce illis exponas, verum etiam opere probes, nil minus cogitare te, quam ut Legalia damnes. Præſto autem ſunt quatuor viri, voto Nazaræatus obſtricti; his te adjungendum cenſemus, deque tuo ſumptu ad tonſuram capitis, & ad ſacrificia pro illa cæremonia rite perſolvenda, ſufficias, hortamur. Ægris Judæorum mentibus medendum eſt; ad Fideles enim ex Gentilibus quod ſpectat, noſti quid Concilium Hieroſolymitanum ſtatuerit; nec plura ab eis poſtulamus. Calumniam ſenſit quidem Apoſtolus, cum numquam mandaverit Judæis, ut Legalia abjicerent, contentus docuiſſe, inania eſſe, non vero prava, niſi iis tantummodo, qui ea ad ſalutem neceſſaria eſſe contenderent; monitis tamen Jacobi, & Eccleſiæ Hieroſolymitanæ obſequens, mane alterius diei expiatus Templum cum quatuor illis Nazaræis ingreſſus eſt, indicavitque Sacerdotibus diem, qua votum ſolvi, & ſacrificia eorum nomine ſuis impenſis immolari oporteret (*a*).

*Paulus in Templo comprehenditur.*

III. Nondum hebdomadam, ex quo Hieroſolymam Paulus advenerat, elapſa fuerat, cum nonnulli ex Aſia Judæi Paulum cum Trophy-



(*a*) Act. xxi. 15.

mo Gentili ad Fidem converſo ultra Atrium, quo Gentilibus pedem inferre liceret, nacti, eumdem Gentilem ab illo introductum opinati ſunt; quare ſtatim murmur & ſeditionem excitarunt, exclamantes, hominem nedum adverſus Judæos, Legem, & Templum verba ubique effutire, ſed & loci ſancti ethnicis viris introductis religionem violare. Nec mora; injectis in Paulum manibus extra Templum rapientes, januas clauſerunt, ne creſcente tumultu creſceret & Templi prophanatio. Cum hæc Judæi ad Claudium Lyſiam, Romanæ Cohortis Tribunum delata fuiſſent, actutum ille cum militibus accurrit. Tribuni, militumque præſentia populi furorem compeſcuit, avulſumque e manibus trahentium ad necem, atque percutientium Paulum idem Tribunus apprehendit, juſſitque duabus catenis vinctum in Caſtra, in Arcem ſcilicet, quam Antoniam appellabant, deduci. Populus autem, qui eo confertiſſimus confluxerat, Tribunum, ut Paulum occideret, poſtulabat, tantaque vi ipſum comprimebat, ut de eo portando milites conſilium inierint.

*Paulus populo ſuã converſionem narrat.*

IV. Ventum erat ad gradus, qui ad Turrim ducebant, cum Apoſtolus petiit a Tribuno, ut ſibi populum alloqui liceret. Ad quem Tribunus: Eſne tu Ægyptius ille, qui quatuor hominum millibus ſtipatus tumultum excitavit (*a*)? Abnuente Paulo, & ſe Judæum eſſe, & Tharſi in Cilicia natum, alter, ut verba faceret, permiſit. Indicto igitur manu ſilen-

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 10. c. 7. n. 11.

ſilentio, patrio ſermone totam converſionis ſuæ, atque miſſionis ad Gentiles a Jeſu Chriſto ſibi injunctæ hiſtoria pro concione expoſuit. Adjecit autem quamdam viſionem, quam alibi minime invenias, & quæ, quando contigerit, penitus ignoratur. Cum ſemel, ait, in Templo orarem, apparuit mihi Jeſus Chriſtus, a quo juſſus ſum, ut quantocyus Hieroſolyma diſcederem, gentemque noſtram indocilem animo, ſurdamque Evangelio, dimitterem. Cui ego: Compertum ſane eſt illis, me omnium pervicaciſſime Legi adhæſiſſe, ac inſenſiſſime Evangelio obſtitiſſe. Quin cum Stephani ſanguis effunderetur, ego adſtans, omnium interficientium illum veſtimenta, quo expeditiores rem agerent, cuſtodiebam. At ille me intercipiens: *Vade*, inquit, *quoniam ego in nationes longe mittam te* (*a*). His Paulus oſtendere volebat Judæis, ſe non ex voluntatis ſuæ propenſione, ſed ex graviſſimis perſuaſum rationibus inter Chriſti Diſcipulos nomen dediſſe; quare minus indociles ſe ei præbere debebant. Verum Judæi vix afferentem illum audierunt, ſe cælitus miſſum, ut Evangelium Gentilibus prædicaret, conclamare omnes, tolleretur impius, atque ad ſupplicium raperetur, projicientes interim veſtimenta, jactanteſque per aera pulverem. Tribunus, cui ignotus erat Hebræus ſermo, ea quæ Paulus dixerat, minime aſſecutus, ratuſque ex populi tumultu aliquid ab eo in Gentem ſuam, vel Legem prolatum, ſive factum fuiſſe, di-



(*a*) Act. xxii. 21.

ſcere ab eo rem omnem percupiens, ſtatim in Arcem ingredi, ingreſſumque flagris ſubjiciendum edixit. Præſto jam erat quæſtio, cum Paulus ad torturam alligatus, quæſivit a Centurione, cui id rei a Tribuno commiſſum fuerat, an fas eſſet, Civem Romanum, & cauſa indicta, cædi? His per Centurionem auditis, Tribunus ipſe Paulum interrogavit, an revera Romanus eſſet? Affirmanti: Ego, ait, multa ſumma civitatem hanc conſecutus ſum. Cui alter: Ego autem & natus ſum (*a*). Ad hæc, ſtatim exolvi juſſit, & poſtera die Judæorum Synhedrium coegit, coramque Paulum produxit, ut ſeditionis cauſam exploraret.

*Paulus in Concilio alapa cæditur.*

V. Paulus cauſam ſuam defenſurus, in hæc verba exorſus eſt: *Viri fratres, omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum uſque in hodiernam diem* (*b*); quaſi diceret: Sinceritatem meam, rectique cordis æquitatem Deus novit. Judæum bonum me præbui, quamdiu eam profeſſionem retinendam putavi; deinde vero ad Chriſtianorum Sacra translatus, Religionis iſtius ſtudioſiſſimus effectus, cum ejus veritatem Deo docente cognoverim. Ad hæc, Ananias, filius Nebedæi (*c*) ſummus Pontifex colaphum viro infligi juſſit. Qua injuria accepta, Paulus ad Ananiam converſus: *Percutiet te Deus*, ait, *paries dealbate*. Genus proverbii in hypocritam dicti: Juſti, & æqui amatorem te oſtentas, a quo tamen ante damnor,

(*a*) Vide ſupra c. 8. n. 19.

(*b*) Act. xxiii. 1.

(*c*) Joſeph. Antiq. l. 8. c. 3.

mnor, quam cauſam meam defendam. Cum vero præſentes irreverentem in ſummum Pontificem objurgaſſent, ignorantiam de viri illius dignitate cauſavit; ſcire enim ſe, adjecit, Legis præceptum: *Principem populi tui non maledices*. Qui ab annis quinque & viginti numquam, niſi paucorum dierum ſpatio, Hieroſolymis moram traxerat, ignorare utique potuit, quiſnam tunc ſummum Sacerdotium gereret. Et forte Ananias tunc nec loco, nec veſte ſuam oſtendebat dignitatem. Sed quo ea occaſione abiit illud Chriſti monitum: *Si quis te percuſſerit in una maxilla, præbe illi & alteram* (*a*)? Cauſa, quam tuebatur Paulus, minime permittebat ut ſuum honorem negligeret. Ceterum Patres & Interpretes in verbis Apoſtoli prophetiam agnoſcunt, non imprecationem. Hinc non ait: *Percutiat te Deus*, ſed *percutiet*. Ananias ſane in defectione Judæorum ab eorum manu, quibus filius ejus ducem ſe præbuerat, inter primos miſere interfectus eſt (*b*).

*Paulus Judices inter ſe ſe committit.*

VI. Animadvertens deinde Paulus, Patres Concilii alios Phariſæos, alios Sadducæos eſſe, opportunum reputavit, ſi inter ſe ſe illos committeret, quo a ſe diſcrimen averteret, bonamque cauſam tueretur. Quare elata voce clamavit, ſe, quod Phariſæorum ſectam profiteretur, & cum illis alterius vitæ, & reſurrectionis dogma prædicaret, in judicium deductum fuiſſe. His auditis, cœtus in contraria ſtudia diviſus eſt, Paulo plaudentibus Phari-



(*a*) Matth. v. 39. (*b*) Joſeph. de Bello l. 2. c. 32.

ſæis, Sadducæis contra illos æque ac Paulum tumultuantibus. Quare Lyſias veritus, ne vir diſcerperetur, illum a Concilio ſubductum, in Arcem reſtitui præcepit. Sequenti autem nocte, Paulus per viſum a Domino confirmatus, quod Fidei Hieroſolymis dederat teſtimonium, illud etiam Romæ ſe daturum, intellexit.

*Paulus vitandæ Judæorum conjurationis cauſa Cæſaream mittitur.*

VII. Mane alterius diei ultra quadraginta Judæi, facile ex Sadducæis, diris caput ſuum devoverunt, ſi quid cibi potuſque deguſtarent, antequam Paulum interficerent (*a*). Re cum Sacerdotibus & Optimatibus communicata, convenerunt, ut per Tribunum iterum coram illis adduceretur, ſub eo obtentu, ut ſcilicet ipſius cauſa melius dignoſceretur. Nos autem, addebant, illum in via, antequam ad vos accedat, necabimus. Sed hac conjuratione primum ad Paulum per filium ſororis ſuæ, deinde vero ab eodem juſſu Pauli ad Lyſiam Tribunum delata noctu quadringentorum militum præſidio, & ſeptuaginta equitum manu ſtipatus, jumentoque impoſitus, Cæſaream ad Felicem Præſidem tranſmiſſus eſt. Milites tamen, cum Antipatridem veniſſent, ubi minus erat periculi, Hieroſolymam reverſi ſunt, equitibus Paulum exinde comitantibus. Felix acceptis eam in rem a Tribuno literis, atque Paulum eſse Cilicem intelligens, cauſam illius in accuſatorum adventum differendam cenſuit.

*Paulus coram Felice ſe ſe defendit.*

VIII. Cum Ananias, ſummus Sacerdos, ceterique Pauli hoſtes intellexiſsent, ipſum Cæſaream translatum eſse, totamque conjurationem

(*a*) Act. XXIII. 12.

nem patuiſse, maxime indoluerunt. Conferre ſe igitur eo ſtatuerunt, quo & pervenerunt quinta poſt Pauli adventum die (*a*). Querelas igitur Judæorum in Paulum coram Felice inſtituens quidam Tertullus Orator, cum multis laudibus Judicis benevolentiam captaſset, illum de ſeditione, atque turbata Reipublicæ pace, qui ſe Nazaræorum Principem haberi voluiſset, & Templum prophanare tentaſset, accuſavit. Addidit, Judæos voluiſse illum ad Legis præſcriptum judicare, ſed vi a Tribuno prohibitos fuiſse; rem autem adeo exploratam eſse, ut vel reus ipſe, judiciali more interrogatus, non eſset negaturus. Adſtantes vero Judæi vera dixiſse Tertullum, profeſſi ſunt. Has autem calumnias Paulus everſurus, ad Præſidem, qui, ut reſponderet, innuebat, ſe ſe convertens: Tu, ait, qui ex multis annis Provinciam moderaris, nullo negotio reſcire poteris, non prius quam duodecim ab hinc diebus me Hieroſolymam veniſse; minus certe temporis ſpatium, quam ut ingenti alicui ſeditioni parandæ ſufficiat. Nedum autem factionibus, ſed nec diſputationibus ullis me in Templo, aut in Synagogis paucis illis diebus operam dediſse, adverſarii probare poſsunt. Hoc equidem tibi non negabo, me in Religione, quam accuſatoribus meis libet appellare Sectam, vel Hæreſim, Patrem cæleſtem, qui & Deus meus eſt, colere, omnibuſque in Lege & Prophetis aſsertis credere, ac juſtorum impiorumque reſurrectionem non minus ac inimici mei expecta-

(*a*) Act. XXIV. 1.

ctare: de quibus optime perſuaſus, ſtudia mea omnia in eo pono, ut conſcientiam meam ab omni vitiorum nævo puram ſervem, vitamque Deo & hominibus gratam inſtituam. Hieroſolymam igitur poſt plures annos, quibus abſceſſeram, veni, & in Templum aſcendi; ſed non alia de cauſa, quam ut pias largitiones in pauperes erogandas aſportarem, oblationeſque Deo & vota, ad normam Legis expiatus, & ſine turba aut tumultu, offerrem.. Qui ex Aſia Hieroſolymam venerunt Judæi, in me calumnias ſpargentes, quive Hieroſolymis digreſſi ad urgendam condemnationem meam coram te adſtant, idoneos dictorum ſuorum teſtes adducant, promantque, ſi quod crimen meum in Concilio deprehenſum fuiſse norunt. Nihil ſane in illo cœtu Hieroſolymis coacto mihi datum eſt ſceleri, niſi fortaſse illud quod mortuorum reſurrectionem crederem. His clam Paulus innuit, dogma illud quod Phariſæi admittebant, ab Anania, ceteriſque Senatoribns coram præſentibus negari, quod eſsent Sadducæi. Felix utraque parte audita, certiora de illa cauſa cognoſcere deſiderans (*a*), eam ad Lyſiæ adventum, de quo Tertullus mentionem fecerat, diſtulit, jubens ſimul ut familiarium colloquiis & ſervitute Paulo frui liceret.

*Paulus coram Felice & Druſilla prædicat.* IX. Poſt aliquot dies Felici, cum Druſilla uxore ſua, quæ Judæa erat, filia ſcilicet Agrippæ ſenioris, verba miſcenti audiendi Pauli voluntas inceſſit. Apoſtolus, qui utriuſque cri-

(*a*) Grot. Bez. From. Cler. Calm.

crimina, reſonante fama probe norat (*a*), nedum de Chriſti Fide, ſed & de Juſtitiæ officiis, de conjugali caſtimonia, deque ſupremo mortalium omnium Judicio, diſputavit. Quibus & terrore Præſidis animum concuſſit, ut ſtatim in carcerem remitteretur, ſpe tamen accepta, ut pro data temporis opportunitate revocaretur. Nec ſane infrequenter Felix deinde cum illo collocutus, ſpecie quidem, ut ejus inſtitutionibus proficeret, re tamen vera, ut pecuniæ ſubducendæ rationem iniret. Sciebat enim, Apoſtolo eleemoſynas Fidelium creditas fuiſſe, ut idemmet illi faſſus fuerat. Hinc ea lucri captandi ſpe duobus annis in carcere illum detinuit, gratiam ſimul Judæis præſtans, quorum animos plurimum irritaverat.

X. Biennio evoluto, Porcius Feſtus ſucceſſor Felici datus eſt. Poſt triduum a ſuo in Provinciam adventu novus Præſes Hieroſolymam veniens, a Principibus Sacerdotum rogatus eſt, ut Paulum eo deduci juberet, ad ejus cauſam melius cognoſcendam (*b*). Honeſtiſſime quidem in ſpeciem; ſed necem in via per inſidias Paulo inferre meditabantur. At Feſtus de re tota facile certior factus, poſtulatis minime acquievit, juſſitque, ſi quid haberent, Cæſaream, quo maturius profecturus erat, venirent. Cum poſt octo aut decem dies Cæſaream ſe contuliſſet, ut Paulus coram ſe deduceretur, præcepit. Judæi autem plures in eum calumnias commenti ſunt, quas Paulus facillime

ANNO CHRISTI 60.
*Paulus Cæſarem appellat.*

(*a*) Act. XXIV. 24. Vide hanc Hiſtor. l. 10. c. 7. n. 8.
(*b*) Act. XXV. 1.

me diſſolvit. Sed Præſes, pluris faciens Judæis gratificari, quam innocentiam tueri, propoſuit Paulo, an Hieroſolymam deduci vellet? Verum Apoſtolus, cui ignotum non erat, hæc omnia eo tendere ut Judæorum manibus permitteretur: Judicem, ait, agnoſco nullum præter Cæſarem, & miſſum ab eo Præſidem. Innocentia mea te latere non poteſt. Si quid morte dignum peccaſſem, mori non recuſarem. Quandoquidem autem tu cauſam a te meam ablegas, Cæſarem appello. Ad quæ Feſtus de Aſſeſſorum conſilio: Cæſarem appellaſti? Ad Cæſarem ibis. Jus erat civium Romanorum, ut in cauſis capitalibus, vel ante Judicis ſententiam, Imperatorem poſſent appellare (*a*). Porro ex Pauli appellatione inferunt nonnulli, eccleſiaſticam libertatem & Chriſtianorum privilegia valere quidem quoad Principes Chriſtianos, non item quoad Ethnicos, qualis erat Nero, qui tunc imperabat, quod Eccleſiæ non ſint ſubjecti. Cenſent alii, & quidem rectius, Paulum, non ut Judicem & Principem ſuum, Neronem agnoviſſe, ſed traxiſſe tantummodo ad ejus tribunal ſubjectos illi Judæos accuſatores ſuos. Auguſtinus docet, ſæcularium Principum opem in cauſis publicis, quæ univerſam ſpectant Eccleſiam, quæri poſſe, & admitti (*b*). Fecit, ait Chryſoſtomus, quod potuit, ceteris Providentiæ Dei remiſſis (*c*). Docuiſſe tandem videtur S. Athanaſius, peculiari Dei

(*a*) Grot. Calm.

(*b*) Auguſt. Ep. 185. in Act.

(*c*) Chryſoſt. hom. 51.

Dei mandato Paulum appellationis remedio uſum fuiſſe (*a*).

*Paulus coram Feſto, Agrippa, & Berenice cauſam ſuam tuetur.*

XI. Poſt Pauli appellationem, cum junior Agrippa Rex Chalcidis, ſenioris Agrippæ Judæorum Regis filius, ejuſque ſoror Berenice, quam uxoris loco, uti rumor ſparſerat, habebat (*b*), Cæſaream ad ſalutandum Feſtum veniſſent, inito de Paulo colloquio, cauſam viri illis Præſes communicavit; quæ, ait, quæſtiones nonnullas ſpectat de *Judæorum ſuperſtitione, & de quodam Jeſu defuncto, quem vivere Paulus affirmat*. Cum Agrippa ſe diu Paulum audire exoptaſſe ſignificaſſet, poſtridie ejus diei Rege & Berenice auditorium ingreſſis, accerſitoque Paulo, Feſtus illis, ceteriſque adſtantibus aperuit, virum illum a Judæis ad mortem quæri; ſe tamen nullum in eo crimen morte puniendum deprehendiſſe. Cum autem ipſe Cæſarem appellaſſet, ſe coram idcirco illum vocaſſe, ut Agrippæ perquiſitione, quid de illo ad Cæſarem ſcriberet, haberet: non enim ſibi æquum videri, vinctum ad Cæſarem mittere, criminibus, quorum inſimulabatur, minime indicatis. Tunc Paulus, Agrippa annuente, ut loqueretur, manu extenta cauſam ſuam dicere cœpit, beatum ſe prædicans, quod coram Agrippa, mores & dogmata Judæorum callente, pro ſe perorare poſſet (*c*). Tum ſe vinctum eſſe ob ſpem Iſraelis, mortuorum ſcilicet reſurrectionem, dixit. Inde

(*a*) Athan. de Fuga c. 74.

(*b*) Act. xxv. 13. Vide hanc Hiſtor. l. 10. c. 7. n. 8.

(*c*) Act. xxvi. 1.

de moleſtias a ſe primo Chriſtianis illatas, mirabilemque ſuam converſionem expoſuit, ut Agrippæ perſuaderet, non temere ſe ad Chriſtianos tranſiiſſe. Perſecutionem demum ſe ab Judæis pati, quod omnibus prædicaret quæ a Prophetis & ab ipſo Moyſe prædicta fuerant, Meſſiam ſcilicet, ſive Chriſtum perpeſſionibus, & neci ſubjiciendum, omnium primum e mortuis excitandum, Fideique luce Judæos æque ac Gentiles ab ipſo donandos. Adhuc loquentem Feſtus elata voce intercipiens: Inſanis, Paule, ait; ex multo literarum labore te mente defeciſſe, video. Cui ſtatim Paulus, nihil ſe non e media veritate, vel ipſo Agrippa teſte, quem illa latere non poterant, dixiſſe profeſſus eſt. Deinde, Credis ne, ait, Agrippa, Prophetis? Scio te Credere. Ad quem Agrippa: Parum abeſt quin Chriſtianum me fieri perſuadeas. Et alter: Utinam nihil omnino abeſſet quin & tu, & quotquot adſunt, mihi ſimiles, exceptis his vinculis, eſſent. Seorſum autem ſecedentes Rex, Berenice, Feſtus, & Aſſeſſores, dixerunt adinvicem, nihil a Paulo morte, vel carcere dignum commiſſum fuiſſe; Agrippa vero addidit: dimitti potuiſset, ſi Cæſarem non appellaſset.

Pau-

*Pauli in itinere Melitenſi naufragium. Fueritne Melita Africana, an Illyricana? Melita Pauli miraculis illuſtratur. Paulus Romam venit. Ex Judæis quidam ei credunt, quidam minime. Libri Actuum Apoſtolorum Auctor, argumentum, tempus.*

## CAP. XIII.

I. INito igitur Paulum in Italiam mittendi conſilio, navi Adrumetinæ ex Africa, ſive Adramyttinæ ex Aſia (*a*), commiſsus eſt, una cum Luca & Ariſtarcho. Cum Sidonem veniſsent, permittente Julio Cohortis Auguſti Centurione, cui deducendi Paulum cura credita fuerat, Chriſtianos illius urbis viſitavit Apoſtolus, petiturus ab eis res itineri neceſsarias. Mari Cypri, Ciliciæ, & Pamphiliæ trajecto, Lyſtras, vel Myram (*b*) in Licia appulit. Ibi alteram navim, quæ Alexandria frumento Romam vehendo ſolverat, conſcendentes, vix Boni-Portus in Inſula Creta adverſante vento aſsequi potuere. Cum autem celebratum jam fuiſset ſolemne jejunium, quod Expiationis creditur, incidens in exeuntem Septembrem, vel Octobrem ineuntem, cur maris tranquillitas ſperaretur, nihil erat; eaque de cauſa, & quod fortaſſis cælitus didiciſset, quod futurum eſset, ſuadebat Paulus ut ibi ſubſiſterent, illud etiam atque etiam monens: Non

ANNO CHRISTI 60.

*Paulus & ſocii Cæſarea ſolventes, tempeſtate ad Inſulam Melitam aguntur.*

(*a*) Calm. in Act. XXVII. 2.

(*b*) Idem XXVII. 5.

Non ſine hominum diſcrimine, & navis exitio, mari exponéremur. Sed Gubernator & Nauclerus reſpondebant, portum illum hiemando, ſive arcendis Maris injuriis imparem eſse (*a*); quibus Julio aſsentiente, ad Phænicem, alterum ejuſdem inſulæ portum, ire ſtatutum eſt. Aſpirante Auſtro ſolverunt, legebantque Cretam de eventu ſecuri, cum ſubito exorta procella ab Oriente ſeptemtrionali, navim, quæ amplius regi non poterat, ad parvam inſulam, nomine Caudam, ſive Claudam, quæ jacet in extrema ora meridionali, & occidentali Cretæ, impulit; ubi Scapham, ne periret, aut officeret, in navim receperunt, non ſine magno conatu; ipſam vero navim rudentibus, ſeu validis catenis circumligarunt, ut licet vehementer concuſsa non frangeretur, illud etiam maxime caventes, ne in ſyrtim aliquam incideret. Malo tandem demiſso & velis, tempeſtas ad libitum illam rapiebat; quæ cum magis ſæviret, altera die merces, tertia demum & nauticum apparatum jacere viſum eſt; nec tamen periculum ceſsavit; quin ſpatio quatuordecim dierum nec Solis, nec ſtellarum facies jactatis apparuit. Dum in mortis faucibus verſarentur, Paulus rogabat Deum, ut vitam largiretur iis, qui ſecum navigabant, numero 276. miſsuſque ad eum Angelus quadam nocte, voti compotem fore illum nuntiavit; quam viſionem cum revelaſset ſociis, adjecit, incolumes omnes in quamdam inſulam deferendos, ſola interim navi pereunte. Circa dimi-

(*a*) Calm. in Act. XXVII. 12.

midium decimæ quartæ noctis, cum jam Mare Adriaticum attigiſsent, Terram ſibi accedere ſuſpicati ſunt nautæ, non quod illam videre potuerint, ſed vel ex odore Terræ, vel ex frigidiore aere, vel denique ex ventorum qualitate; non falli autem ſe tunc intellexere, cum aquam bolide tentantes, viginti paſsus invenerunt, & poſt puſillum, quindecim. Hinc e re judicarunt, quatuor e puppi projectis anchoris, ſubſiſtere, dum illuceſceret, ne in ſcopulos aliquos impellerentur. Nonnulli ſcapham mittentes in mare, ſimularunt, & a prora aliquas anchoras jacere velle, quorum conſilium erat fugere e navi, & ſalutem in terra quærere; quod Paulus animadvertens, Centurionem monuit, ut id prohiberet, alioquin de omnium ſalute actum eſse ſciret. Jubente igitur Centurione, abſciſſis ſcaphæ funibus, illam ludibrio mari milites permiſerunt. Sub diei ortum, Paulus ſocios, qui duabus hebdomadis, minus quam pro conſueto ſe ſe reficientes, inediam prorogaverant, hortatus eſt, ut cibum quieti caperent, incolumes omnes ſervandos iterum pollicitus; ſuoque exemplo manducans omnibus præivit. Cum cibum ſumpſiſſent, quo navis magis alleviaretur, ipſum quoque frumentum tandem in mare projecerunt. Plena jam luce, tenere ſe Inſulam quamdam intellexere, ſed nomen, portumque ignorabant. Proſpecto autem littore arenoſo, anchoras receperunt, ut vento opportune utentes, eo navim, ſi unquam fieri poſſet, dirigerent. Directa quidem illuc eſt navis; ſed cum

in porrectum terræ promontorium, Dithalaſſum dictum, impegiſſet, cœpit ſatiſçere; prora enim in arena defixa, puppis fluctuum arbitrio agitata ſolvebatur. Tunc milites, ne quis vinctorum mari ſe committens, natando evaderet, omnes occidere cogitabant. Illos tamen e conſilio Centurio removit, Paulum ſervandi cupidus; juſſitque ut ii qui natatu præſtarent, omnium primi navim exonerarent, ceteri vero ſaluti ſuæ, ut quiſque poſſet, conſulerent. Illi tamen iſtis ſupponentes tabulas, regenteſque, utilem adeo præſtitere operam, ut omnes incolumes littus Inſulæ tenuerint, quam Melitam eſſe tum demum intellexerunt.

*Pauli naufragium ad Melitã Africanã conſignandum.*

II. Sed quænam iſta Melita? Africana, an Illyricana? Illyricanæ, ſex mille paſſibus ab Epidauro diſſitæ favet nomen Maris Adriatici, ubi Pauli naufragium a S. Luca conſignatur. Favent & nonnulli Scriptores (*a*). Sed nos alteram malumus, communem ſententiam amplectentes. Porro Maris Adriatici nomen non intra ſinum tantummodo Venetum a Veteribus definiri, ſed & ad Mare Siculum, & Jonium, prorogari, minime ignoramus (*b*). Iter, quod tenuit Apoſtolus e Melita ſolvens, ſatis demonſtrat, Africanam fuiſſe. Appulit enim Syracuſas, deinde Rhegium. Venientibus autem ex Illyrico Brunduſium, vel alius portus Adriatici ſinus opportunius patuiſſet.

(*a*) Act. XXVII. 27. Vide P. Georg. diſſert. Anticriſt. & Opuſculum, *Incert. delle Scienze* c. 16.

(*b*) Ptolem. Ovid. Stat. Procop. Grot. Cornel. Boch. Chan. l. 1. c. 26.

ſet. Publius Princeps Melitenſis, de quo mox, in Africano lapide legitur. Tandem antiqua traditione receptum eſt, Paulum naufragium feciſſe in loco Melitæ Africanæ, quem dicunt *Cala di S. Paolo*. Quamvis autem Melitam Africæ Geographi plures adjungant, alii tamen illam Siciliæ malunt attribuere. Sub Romanis ſane Melita Siciliæ ſubdebatur, & Inſulæ illius Præſidi parebat, licet Melitenſes ab ipſa origine Colonia eſſent Phænicum, vel Carthaginenſium. S. Lucas Melitenſes Barbaros appellat. Scimus autem id nominis primo quidem omnibus Græcum ignorantibus tributum fuiſſe, deinde Græcum Latinumque neſcientibus. Crederemus tamen, S. Lucam loqui de inſularibus agreſtibus; minime vero de Urbem incolentibus, ubi facile Græcum & Latinum regnabant. Agreſtes Melitæ incolæ hodie Barbaricam, ideſt Arabicam Linguam, habent* familiarem. Et quidem cenſet Bochartus, incolas hoſce reliquias eſſe Arabum Africanorum, qui in ea Inſula dominabantur, ante Equites S. Joannis, a quibus nunc Caroli V. Imperatoris beneficio tenetur.

III. Paulum ſocioſque, gelu & aqua rigentes, benigne Melitenſes excepere, excitatoque igne illos recrearunt. Cum Apoſtolus ſarmenta igni imponeret, vipera inter illorum ramos forte latens, excitata calore, ſpiris ſuis manum illius ambiit; quin & morſu illum feriiſſe, plures autumant (*a*). Eo indicio præſentes male de homine ſuſpicati ſunt, ac ſi Deus *Prodigia a Paulo Melitæ patrata.*

L 2 il-

(*b*) Act. XXVIII. 1. 2 Tertull. Ambroſ. Prudent. Calm.

illum terra marique perſequeretur; expectabantque, ut intumeſceret, caderetque moriturus. Paulus autem in ignem excuſſerat anguem, nihilque mali inde retulerat; quod cum illi animadvertiſſent, contraria plane perſuaſione Numen eſſe quoddam exiſtimarunt, facile Herculem, qui, ut eſt in fabula, angues vel in cunis ſuffocaverit. Vulgata Inſulæ traditione fertur, Apoſtolum dira pronuntiaſſe in viperas omnes ejus regionis. Ex eo tempore, ajunt, Melita nulla vipera, aut alia venenata beſtia infeſtatur. Scatet inſuper viperis, & anguibus in lapides converſis, quorum linguæ, oculi, viſcera amuletum ſunt adverſus venena præſentiſſimum; uti & in eam rem ſcobs e petra ſpeluncæ S. Pauli plurimum valet. Delatæ interdum Melitam e Sicilia viperæ, venenum ſtatim depoſuerunt; quemadmodum Melitenſes in Siciliam translatæ virus imbibere. Pueri ibi mira ſecuritate ſcorpiones tractant. Verum quæ de Melitenſi terra venenum retundente, vel repellente, prædicantur, apud nonnullos falſi convincuntur, quibus lapides ophiomorphi, in ea Inſula paſſim occurrentes, nil ſunt aliud, quam dentes marinorum cetorum, ac teſtacea quædam cornua in lapidem vigentia, quibus veteratorum quorumdam ars lapideos anguium rictus incautis decipiendis induxit (*a*). Aliud Pauli miraculum S. Lucas narrat, quod in controverſiam nequit vocari. Publius, Princeps, ſive Præfectus Inſulæ pro Romanis (*b*), Paulum

(*a*) P. Georg. Valliſ- ner. & P. Manſ. præf. in nov. Teſt.

(*b*) Boch. Grot. Calm.

lum ſocioſque tridui hoſpitio humaniſſime excepit; atque ab eodem Apoſtolo viciſſim valetudinem patris ſui, febri, & alvi fluxu laborantis obtinuit; quo prodigio Melitenſes invitati, ægrotos omnes, nec fruſtra ad ipſum contulerunt (*a*). Ferunt ea occaſione nedum univerſam Publii familiam, ſed totam late Inſulam Fide initiatam fuiſſe. Ado, & poſt illum Latinorum nonnulli aſſerunt, Publium Paulo impoſterum adhæſiſſe, a quo Epiſcopus inſtitutus fuerit; Athenarum vero Eccleſiæ præfuiſſe, ubi tandem martyrium conſummaverit. Sed Publium Athenarum Epiſcopum alium ab iſto fuiſſe oportet, cum diu poſt, nempe ſub M. Aurelio martyr occubuerit (*b*).

IV. Tribus in Inſula Melitæ menſibus Paulus cum ſociis permanſit; inde conſcendentes navim Alexandrinam, cui inſigne Caſtoris & Pollucis, Syracuſas in Sicilia venerunt. Poſt moram trium dierum ſolventes, Rhegium in extrema Italiæ ora, ac deinde Puteolos in Campania delati ſunt. Hic Paulus Chriſtianos quoſdam nactus, id ſolatii habuit, ut apud eos ſeptem dierum ſpatio ſubſtiterit. Elapſo eo tempore iter tandem Romam verſus inivit. Cum Fideles qui Romæ erant, adventare Paulum reſciviſſent, obviam ei proceſſerunt uſque ad Forum Appii, & ad tres Tabernas. Forum Appii appellabatur quidam locus in Agro Setino prope mare, ex ſtatua Appii Claudii, qui lapidibus ſtraverat viam

ANNO CHRISTI 61.
*Paulus Melita Romam venit.*



(*a*) Act. XXVIII. 1. Paul. Calm.
(*b*) Tillem. not. 64. in

Roma Capuam deducentem, cui deinde nomen Appiæ manſit. Tres vero Tabernas ibi fuiſſe ferunt, ubi nunc *Ciſterna*. Porro tres Tabernæ ad trigeſimum tertium ab Urbe lapidem poſitæ erant. Forum vero Appii ad quinquageſimum primum. Hinc diſcas, quantum fuerit primis illis Chriſtianis, qui Romæ degebant, in Paulum amor, & obſequium, quibus impulſi tam longo itinere obviam ei proceſſere, quaſi triumphantem in Urbem deducturi. De anno, quo Paulus Romam pervenit, incerti ſumus, licet 61. cum Calmeto prætulerimus. Uſſerius 63. mavult, Gotti 59. Euſebius ſane, & Hieronymus Paulum Romam a Feſto miſſum fuiſſe anno poſt Chriſti obitum 25. teſtantur (*a*). Quare eo nonniſi ſequenti anno pervenire potuiſſet, qui cum anno 59. congruit. Quæ tamen annorum periodus rebus a Paulo geſtis digerendis brevior videtur. De menſe pariter ambigitur. Sunt enim qui Pauli Romam adventum Julio conſignent (*b*). Si tamen Melitam veniſſe exeunte Octobri ſtatuatur, ut ſupra innuimus (*c*), Februario ineunte, poſt tres ſcilicet menſes, inde ſolviſſe cenſendus eſt, eodemque menſe Romam intraſſe. Nec diffitemur, Februario Mare ut plurimum ſævire; ſed interdum menſis ille mitiſſimus eſt, & navigationi opportunus.

V.

(*a*) Euſeb. Chron. Hieron. de Script. Eccl. in Paulo.

(*b*) Beda, Ado, Uſuar. Vide Baron.

(*c*) Supra n. 1.

V. Græcus textus, pluribus tamen hic ſuſpectus, habet, *Centurionem*, cum Romam perveniſſet, *tradidiſſe vinctos Præfecto Prætorii*. Id muneris agebat tunc Afranius Burrus, qui quoad vixit, pravum Neronis ingenium nonnihil coercuit. Quid de aliis vinctis actum ſit, penitus latet. Paulo vero ſive ab ipſo Afranio, ſive ab aliquo alio libera facultas data fuit diſcurrendi per Urbem ad arbitrium extra carcerem, ſemper tamen dexteram illius nectente catena (*a*), cujus altera ora ſiniſtram militis cuſtodis de more ligaret. Triduo poſt, in domum pro domicilio conductam, Judæorum Optimatibus ad ſe accitis, totam captivitatis ſuæ in Templo Hieroſolymitano hiſtoriam, nec non rationes ſuæ ad Cæſarem appellationis expoſuit, certioreſque illos fecit, nequaquam ſua ſponte Romam veniſſe, aut animo gentem ſuam accuſandi, ſed ut ſe a furentium manibus eriperet, a quibus ea tantum de cauſa vinculis alligatus fuerat, quod *Spem Iſrael* prædicaret, Meſſiam (*b*) ſcilicet, ſive mortuorum Reſurrectionem (*c*), aut utrumque. Judæi nihil ſe hac de re audiviſſe unquam, affirmarunt. De Chriſtianis vero, omnium illos invidiam concitaſse, ex plurium narratione ſe comperiſſe; optare proinde, ut de nova illa Secta diſſerentem ipſum audirent. Judæi iſti ignoraſse videntur Epiſtolam, quam Paulus antea ad Romanos, id eſt

*Paulus Judæis cauſam ſui adventus pandit, cui alii credunt, alii minime.*

L 4 ad

(*a*) Act. XXVIII. 16.

(*b*) Vat. Cornel. Men. Tir. alii.

(*c*) Grot. From. Calm. Vide Act. XXIII. 6. XXIV. 15. XXVI. 6.

ad Judæos & Gentiles, Fide initiatos, ſcripſerat. Forte palam in Synagoga lecta non fuerat, vel Fideles illi Synagogam cum reliquis Judæis non frequentabant. Sed quid quid ſit de hoc, condicta die, Paulus verba ad illos fecit, productiſque Moyſis, & Prophetarum oraculis probare conabatur, Jeſum eſse Meſſiam, ejuſque Regnum, ſive Eccleſiam conſtitutum iri per univerſam Terram, Judæorum, ac Gentilium converſione. Dicentis verba probantibus aliis, aliis improbantibus, varie excepta ſunt. Intelligens Paulus, non convenire inter illos, & libidine quadam diſcordiæ, ac repugnandi pruritu reſiſtere iis quæ a ſe dicebantur, palam declaravit, ipſorum pervicaciam ab Iſaia prænuntiatam fuiſse: *Aure audietis, & non intelligetis* (*a*); futurumque prædixit, ut reſpuentibus ipſis veritatem, Deus illam Ethnicis panderet, ipſeque ad illos converſus feliciori ſucceſsu Evangelium prædicaret. Biennio in vinculis Romæ moratus eſt Paulus, quo tempore omnibus liber erat ad illum acceſsus. Ipſe vero adeuntes libenter excipiebat, eiſque dogmata de Chriſto, & Eccleſia, illius Regno, ſecurus, nemine prohibente, exponebat. Hucuſque S. Lucas in Actis Apoſtolorum.

*Libri Actuum Apoſtolorũ Auctor, argumentum, tempus &c. Ficta Apoſtolorum Acta.*

VI. In eo Opere S. Lucas primum de omnibus ſimul Apoſtolis, rebuſque in Judæa ab illis, antequam diſpergerentur, geſtis, ſermonem inſtituit, in quo Petrum maxime ſpectat; deinde orationem late per omnes ſpatian-

(*a*) Iſa. VI. 10.

tiantem intra Pauli hiſtoriam ita cogit, ut a capite duodecimo nunquam fere eos fines prætergrediatur. Ante Acta Evangelium ſcripſerat (*a*). Non abs re ſuſpicaremur, Librum hunc Romæ editum fuiſſe, quo tempore Paulo in captivitate detento Lucas adhærebat. Mirari ſubit, cur hiſtoriam martyrii ejuſdem Apoſtoli literis idem non conſignavit. Forte id ſupervacaneum reputatum eſt, cum aliunde ſatis notum cenſeretur; nec ſane aliter expectari par erat de re tanti momenti in celeberrimæ Urbis Romæ, adeoque univerſi Orbis theatro, in ipſis Fidelium omnium oculis geſta. Forte de illo ſcribendo Lucas conſilium agitavit; ſed ne id executioni mandaret, itineribus, aut prædicationibus impeditus fuit. Id autem in Actis ſcribendis cogitaſſe creditur, ut confictis aliorum fraude Apoſtolicis Actis, veram hanc & genuinam hiſtoriam opponeret. Verum ſi fide Operis ſuis Lucas ceteris omnibus de eo argumento Libris ante ſe ſcriptis fidem detraxit, minime tamen conſecutus eſt, ne poſt ſe alia procuderentur. Nota ſunt *Acta Apoſtolorum*, *Abdiæ* ficto Babylonis Epiſcopo attributa; *Acta S. Petri*, *Acta S. Pauli*, *S. Joannis Evangeliſtæ*, *S. Thomæ*, *S. Philippi*, *S. Matthæi*, & *S. Andrææ* (*b*). Hæc tamen S. Andrææ Acta diverſa omnino ſunt ab iis quæ ſub nomine Presbyterorum Achajæ circumferuntur. Veris S. Lucæ Actis quidam Aſiæ Presbyter, ſtudio celebrandi S. Pau-

(*a*) Act. 1. 1.
(*b*) Vide Calm. prolegom. in Act. Apoſt.

Paulum, Itinera, ſive Acta ejuſdem S. Pauli, & S. Theclæ adjecit, ubi inter alias fabulas legebatur baptiſmus ab ipſa Thecla cuidam belluæ, leoni ſcilicet, collatus; quæ quidem Acta una cum Auctore a S. Joanne Evangeliſta proſcripta fuere (*a*). Librum S. Lucæ plures Hæretici abjecerunt, potiſſimum Manichæi, quod luculenter nimis in eo Opere illapſus Spiritus ſancti, juxta Jeſu Chriſti oraculum, ſuper Apoſtolos tradatur: quod incommodum illis accidebat, jactantibus, Chriſti vaticinium in Manete hæreſeos auctore impletum fuiſſe. Opus illud Græcis literis exaraſſe S. Lucam, nemo ambigit; quin cultiori & elegantiori ſtylo præ ceteris novi Teſtamenti Libris ſcriptum fuiſſe, omnes conveniunt. Tandem de Theophilo, cui Opus hoc una cum ſuo Evangelio Lucas dedicavit (*b*), diſquiritur, an certus aliquis vir eo nomine deſignetur (*c*), an potius vir quicumque Dei amicus, juxta illius nominis etymologiam (*d*)? Si priori ſententiæ adhæreas, virum quemdam illuſtrem fuiſſe, hinc credere poteris, quod epithetum *Optimi*, Lucas ejus nomini adjecerit.

L I-

(*a*) Hieron. de Scrip. phil. Oecum. Tolet. Brug. Eccl. Tertull. de Baptiſmo Eraſm. Sanct. Grot. Calm. c. 17.

(*b*) Act. 1. 1.

(*c*) Chryſoſt. Theo-

(*d*) Origen. Ambroſ. Epiphan. Beda, Camerar. Hammond.

# LIBER DECIMUS SEXTUS.

*Paulus in vinculis Evangelium prædicat. Literæ inter Paulum & Senecam commentitiæ. Epiſtola ad Philippenſes. Paulus virginitatem coluit. Oneſimi converſio. Epiſtola ad Philemonem. Epiſtola ad Coloſſenſes. Superſtitioſus Angelorum cultus. Quænam Laodicenſium Epiſtola? Epiſtolæ ad Hebræos tempus, Auctor, idioma, argumentum. Paulus Pœnitentiæ Sacramento, Verbi Divinitati, Eccleſiæ Miniſterio, & Miſſæ ſacrificio, minime contrarius.*

## CAP. I.

1. POſt biennium, quo Paulus in vinculis Romæ detentus fuerat, tandem libertati reſtitutus eſt; qua tamen ratione ignotum, cum nihil de illa ſive Lucas, ſive ex Antiquis alius memoriæ prodiderit. Facile id conſequutus eſt amicorum favore, quos non paucos Romæ ſibi comparaverat, maxime cum Nero in tantam ut poſtea crudelitatem adhuc non erupiſſet. Forte Judæi probationum defectu cauſam apud Cæſarem urgere auſi non ſunt. Quid autem in vinculis egerit Apoſtolus, ex illius Epiſtolis, & ex iis, quæ literis Veteres conſignarunt, depromere curabimus. Igitur Religionis negotia feliciſſime tractans, quamvis catena adſtrictus, in ipſo Prætorio Chriſtum manifeſtavit, & ex ipſa Imperatoris Au-

*Paulus in vinculis Evangelium prædicat. Inter Paulū & Senecā Epiſtolæ.*

Aula plures ad Fidem deduxit (*a*). Porro Prætorium nonnullis eſt Cæſaris Domus; aliis locus, in quo Prætor jus Romæ dicebat; ceteris militum Prætorianorum ſtatio, quo forte Paulus ductus fuerit a milite, cui alligatus erat. Commercium tunc literarum habuiſſe Paulum cum Seneca Neronis Præceptore, tradit S. Hieronymus, qui propterea Philoſophum illum catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum adſcripſit, cui & S. Auguſtinus conſentire videtur (*b*). Quædam profecto vulgatæ ſunt Epiſtolæ Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam, quas genuinas plures eſſe cenſent (*c*). Suſpicati ſunt alii, non defuiſſe olim genuinas aliquas ab illis invicem ſcriptas epiſtolas; cum vero hodie interciderint, earum loco ſuppletas eſſe alias plane apocryphas, & tantis viris prorſus indignas (*d*). Cum tamen hujus conjecturæ idoneæ non promantur argumenta, idcirco in eorum ſententiam concedimus, qui noſtras haſce cum antiquis illis confundentes, ex illarum ſuppoſitione, de his ferunt judicium (*e*). Tantam denique in Aula Neronis ſibi gratiam Paulus conciliavit, ut vel ipſi Poppææ Neronis concubinæ, ejuſque pocillatori inviſus non fuerit, teſte S. Joanne Chryſoſtomo (*f*). Videntes autem aliqui, continua

(*a*) Philip. I. 12. & IV. 2.

(*b*) Epiſt. 153. nov. edit. Vide l. 6. de Civit. Dei c. II. ubi repugnare videtur.

(*c*) Faber Stapul. Sixtus Senen. Poſſev. Salmer. Bivar. Pamel. Margarin.

(*d*) Lipſius, Tillem.

(*e*) Calm. Gotti.

(*f*) Hom. 46. in Acta.

nua Pauli in vinculis prædicatione clareſcere in dies Evangelium, ad illud & ipſi prædicandum excitati ſunt, diverſo tamen animo, quidam ſcilicet ex zelo, quidam vero ex odio, ut nempe creſcente in Urbe Fidelium numero, Neronis furor tandem adverſus Paulum excitaretur; quibus omnibus, modo Chriſtum vere annuntiarent, Paulus ignoſcebat (*a*).

*Pauli ad Philippenſes Epiſtola. Chriſti humilitas exaltata.*

II. Fideles Philippenſes, quorum ſemper fuit erga Paulum amor eximius, ubi Romæ vinctum ob Jeſu Chriſti nomen detineri audierunt, Epaphroditum, Apoſtolum, ſive Epiſcopum, vel Miniſtrum ſuum, ad illum miſerunt cum pecuniis, ut illius neceſſitatibus præſto eſſet (*b*); qui Paulo ſedulam adeo navavit operam, ut propterea morbum periculoſum contraxerit. Paulus vero, ut Philippenſes a ſollicitudine pro illo liberaret, vix convaleſcentem remiſit, adjecta Epiſtola, quæ Timothei quoque nomen præfert; ex quo intelligimus, ipſum tunc Romæ adfuiſſe. In ea quem fructum ſua vincula produxerint, manifeſtat; pro ſubſidio ad ſe miſſo gratias agit; falſos Doctores, qui Legalia ad ſalutem neceſſaria prædicabant, graviſſime increpat, eoſdemque, quod ſolius quæſtus ſpe docerent, ac ventrem pro Deo haberent, inimicos Crucis Chriſti appellat; exemplum ſuum exhibet imitandum, qui Fidei lumine illuſtratus, omnia vitæ hujus ac fortunæ commoda, cunctaque & generis, & animi ornamenta loco ſordium fæciſque habebat: Evodiam & Synthy-

(*a*) Philip. I. 14. (*b*) Philip. II. 26. IV. 18.

thychen conjuges, vel, ut alii cenſent, geminas feminas, quæ in Philippenſi Eccleſia præſtabant, mutuiſque litibus inter ſe, aut cum aliis diſſidebant, hortatur, ut pacem & concordiam colant; alia denique ſaluberrima exhibet monita, illud potiſſimum inculcans, ut ſincera animi demiſſione Chriſtum imitentur, qui quamvis formam, ſeu naturam Dei haberet, nihilque ſibi alienum uſurparet, cum ſe Patri æqualem faceret, tantam tamen Majeſtatem ſervili Hominis forma, quam aſſumpſerat, adeo occuluit, ut quidquid foris prodebatur, hominem tantum indicaret. *Habitu inventus ut homo* (*a*). Nec his contentus, eo ſuam provexit humilitatem & obedientiam, ut vel ipſam Crucis mortem ſponte ſubiret; in quarum virtutum præmium Deus Pater illum ſuper omnia evexit, donavitque nomine & dignitate ceteris omnibus ſuperiore, ut creaturæ omnes, ubicumque illæ fuerint, ſive in Cælis, ſive in Terris, ſive in Infernis, ſupremam Jeſu Chriſti gloriam & potentiam revereantur, fateanturque, ipſum revera in Cælis regnare, fruique gloria, tum quæ illi uti Deo debetur, tum quam ſibi ipſe demiſſione perpeſſionibuſque promeruit.

*An Paulus virginitatem ſervaverit?*

III. Quædam habet Paulus in eadem ad Philippenſes Epiſtola, quæ Interpretibus negotium faciunt. Cum Evodiam, & Synthychen hortatus fuiſſet, ut idipſum ſaperent: *Etiam*, adjecit, *rogo & te, germane compar*, *adju-*

(*a*) Philipp. II. 7.

*adjuva illas quæ mecum laboraverunt* (*a*). Quem alloquitur Paulus, maritumne, an fratrem alterius ex duabus, quas nominavit, an Philippenſium Epiſcopum, an Silam, ſive Barnabam, vel ipſum Epaphroditum, aut tandem aliquem, cui nomen eſſet Germano? Unuſquiſque ariolatur, ſuoque arbitrio conjecturas producit. At veteres nonnulli & recentiores, qui Paulum matrimonio implicatum putant, uxorem alloqui interpretantur, redduntque: *Etiam rogo & te, conjux cariſſima* (*b*). Græca ſane ſententia femineo genere verti poteſt; ſed illorum ſententiæ hoc fulcimentum ſubtraheretur, dicendo, Apoſtolum orationem ſuam ad illuſtrem aliquam Philippenſem feminam direxiſſe. Eo prædictæ ſententiæ patroni adducunt illud quod idem Paulus alibi dixit: *Numquid non habemus poteſtatem, mulierem ſororem circumducendi, ſicut & ceteri Apoſtoli* (*c*)? Verum & hoc argumentum ipſis aufert communis interpretatio, textum illum explicans non de uxoribus, quas ſecum ducerent Apoſtoli, ſed de piis feminis, quæ neceſſarias vitæ res, & quæ ad cibum pertinerent, curabant. Nos in ſententiam Tertulliani, Epiphanii, Hieronymi, Auguſtini, Theodoreti, aliorumque concedentes, Paulum numquam vinctum fuiſſe conjugio putamus. Quo facile ſpectabat idem Paulus, quando agens de virgini-

(*a*) Philip. IV. 3.

(*b*) Clem. Alex. Quidam apud Chryſoſt. Theophyl. & Theodoret. Eraſm. Cajet. Cathar. Zanch. Bez. Grot. Piſc. alii.

(*c*) I. Cor. IX. 5.

ginitate & continentia cum Corinthiis, ait: *Volo vos omnes eſſe ſicut meipſum* (*a*). Ceterum in eo plerique vel ex ipſis adverſariis conveniunt, Paulum Apoſtolatus ſui tempore continentem fuiſſe.

*Oneſimum Paulus convertit, cui Epiſtolam ad Philemonem conſignat.*

IV. Dum ligatus Romæ Paulus moram traheret, Oneſimum Philemonis amici ſui ſervum ad Fidem convertit. Hic furti in herum reus, Coloſſis Urbe ſe ſubducens, Romam profugerat, ubi Paulo occurrens, agnito illi crimen ſuum detexit, eodemque ſuadente Fidem amplexus eſt. Optaſſet Paulus illum apud ſe retinere, ut ſibi adjutorio eſſet in anguſtiis, ſed nolens id facere ſine Philemonis conſenſu, eum ad ipſum remiſit cum epiſtola, quæ inter canonicas recenſetur, privatum quamvis contineat negotium. Iis autem pietatis, religionis, amicitiæ, aliiſque argumentis ad ſervum cum Domino conciliandum eam inſtruxit, ut in eloquentiæ ad perſuadendum exemplar proponi poſſit. Philemon ea perlecta, Oneſimum, non ut ſervum, ſed ut amicum & fratrem excepit, quem paulo poſt ad Apoſtolo miniſtrandum iterum Romam remiſit. Cujus quidem miniſterio uſus eſt Paulus, cum per ipſum ad Coloſſenſes Epiſtolam miſerit (*b*). Oneſimus dein evangelicis miniſteriis ſe totum addixit. Quidam Epiſcopum illum Berœæ in Macedonia faciunt, alii Epheſi malunt, poſt S. Timotheum. A Martyrologiis Apoſtolus vocatur & Martyr

(*a*) 1. Cor. VII. 7. Vide Calm. ibid.

(*b*) Coloſſ. IV. 9.

tyr (*a*). Philemon una cum uxore ſua Appia ab Epaphra Pauli Diſcipulo Fide initiatus creditur. Si quoſdam audias, Coloſſenſium, ſi alios, Gazenſium in Palæſtina Epiſcopus fuit. Fertur, ipſum, ejuſque uxorem ſub Nerone martyrium conſummaſſe (*b*).

*Pauli Epiſtola ad Coloſsēſes. Cultus Angelorū ſuperſtitioſus.*

V. Coloſſæ, urbs Phrygiæ erat, licet eo nomine quidam Rhodum, urbem Solis Coloſſo celeberrimam intellexerint. Communis eſt ſententia, quamvis Paulus in Phrygia prædicaverit, eum Coloſſas nunquam adiiſſe, ipſos vero Coloſſenſes ab Epaphra converſos fuiſſe (*c*). Quidam falſi Doctores, facile Simonis Diſcipuli, Gnoſtici dicti, Platonicorum veſtigia ſequuti, docebant, Deum nobis eſſe omnino inacceſſibilem, tradidiſſe vero Angelis Mundum gubernandum: vota igitur & preces illis exhibenda, quibus mediatoribus Deus nobis propitius foret; Legem etiam Moyſis ſervandam, quippe illam iidem Angeli tradiderunt. Hæc autem doctrina ſuperſtitioſum Angelorum cultum, & fallacem humilitatem inducens, Chriſti mediationem eliminabat, ab eoque Diſcipulos removebat (*d*). Cum Paulus Romæ hæc didiciſſet, ſive ab Epaphra, ſive per literas, quas Laodicenſes ipſi ſcripſerant (*e*), ſuum eſſe duxit, Fidem adverſus hoſtium inſaniam Epiſtola tueri. Commendat igitur Chri-



(*a*) Calm. v. *Oneſimus*.

(*b*) Idem v. *Philemon*.

(*c*) Coloſ. I. 6. 7.

(*d*) Coloſ. IV. 17. Vide Calm. hic.

(*e*) Non tenens Caput. Coloſſ. II. 19.

ſti amplitudinem, quem Patris Imaginem appellat, & Filium, ab ipſo ante omnes creaturas genitum, per quem cetera condere & gubernare voluit. Illum etiam vocat Dei & Hominum Mediatorem, ac Eccleſiæ Caput, quod membris ceteris motum & vitam impertit. Omnibus vero Poteſtatibus & cæleſtibus Virtutibus ipſum eo potiſſimum nomine præſtare aſſirmat, *quod in ipſo inhabitet omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* (*a*). Porro particula illa *corporaliter* etſi plures habeat interpretationes, geminas tantum exhibemus, ceteris communiores. Prima ita fert: Verbi Divinitas non modo Chriſti animæ, verum etiam corpori ſe ſe adjunxit. Altera mavult: Divinitas in Chriſto vere, reapſe, ſubſtantialiter habitat, alio plane modo quam quo in nobis, in Templo, aliiſque rebus, ſcilicet umbra, ſpecietenus, virtualiter. Corpus enim rei apud Scripturam eſt ipſa res, ut patet ex illis, *corpus peccati* (*b*), *corpus mortis* (*c*), *corpus Eccleſiæ* (*d*). Quo etiam ſpectat illud ejuſdem Pauli: Judæorum ritus *ſunt umbra futurorum*, *corpus autem Chriſti* (*e*). Ex aſſerta autem Chriſti Divinitate infert Paulus, nedum Coloſſenſes omnia in ipſo habere, ſed & illum eſſe Angelorum Caput, per quod ipſiſmet ad ſolium Majeſtatis aditus pateat (*f*). Ad quid ergo Angelorum mediatio? Ceterum Paulus minime omnem Angelorum cultum damnat. Impenſum enim

An-

(*a*) Coloſſ. II. 9.
(*b*) Rom. VI. 6.
(*c*) Rom. VII. 24.
(*d*) Coloſſ. I. 18.
(*e*) Coloſſ. II. 17.
(*f*) Coloſſ. II. 10.

Angelis cultum aliquem a ſanctiſſimis viris Abrahamo, Jacobo, Moyſe, Joſue, Daniele, non ignorabat (*a*). Ille igitur Angelorum cultus per Apoſtolum rejicitur, qui Chriſti Mediationem excludit. Ad Legalia quod ſpectat, Paulus docet, Chriſtum Cruci ſuſpendiſſe quodammodo Chirographum, ſive Legem Moyſis, eamque ſuo ſanguine deleviſſe, novo Fœdere ſubſtituto (*b*); ipſis vero Coloſſenſibus per Baptiſmum in Chriſto ſpiritualiter circumciſis, mortuis, conſepultis, & redivivis, nullam aliam vitam, ſeu juſtificationem ex Judæorum ritibus expectandam eſſe (*c*). Paulus deinde Coloſſenſes optimis moralis doctrinæ præceptis inſtruxit, quibus veterem hominem exuentes, novum, ſcilicet Jeſum Chriſtum, induere valerent. Epiſtolam Coloſſas Tychicus, & Oneſimus detulere, in qua vinculorum ſolatia, Epaphram, Timotheum, Ariſtarchum, Marcum, Lucam, Demam, & Jeſum cognomento Juſtum, apud ſe habere teſtatur (*d*).

*Quænam Laodicenſium Epiſtola?*

VI. Coloſſenſibus edixit Paulus, ut hanc Epiſtolam ad Laodicenſes mitterent, & viciſſim *eam quæ Laodicenſium eſt, ipſi legerent* (*e*). Lodicæa urbs erat Coloſſis proxima; atque vero propius eſt, falſos Doctores, de quibus hucuſque, prava dogmata Laodicenſibus pariter tradidiſſe; eaque de cauſa voluiſſe Apo-



(*a*) Vide differt. Calm. de Angelis.
(*b*) Eſt. Calm. Vat. rot. Hamm. Coloſſ. II. 14.
(*c*) Coloſſ. II. II.
(*d*) Coloſſ. I. I. IV. 10. II. 12. 14.
(*e*) Coloſſ. IV. 16.

ſtolum ut & illis Epiſtola ſua legeretur. Altera præcepti pars crucem Interpretibus figit. Epiſtola Coloſſenſibus legenda, eratne Laodicenſium ad Paulum, quæ deinde perierit (*a*), an Pauli ad Laodicenſes (*b*)? Incertum. Si in poſteriorem ſententiam ieris, adhuc ſupereſt quærendum, quænam eſſet Pauli Epiſtola? Theophylactus ſtat pro Epiſtola ad Timotheum prima; Marcioni, Grotio, Clerico, aliiſque, Epiſtola ad Epheſios magis placet. Noſtris temporibus quædam circumfertur Epiſtola, cui præfixum quidem eſt nomen Pauli ad Laodicenſes, ſed tanto viro indigna judicatur (*c*). Tandem non deſunt qui credant, Paulum dediſse ad Laodicenſes Epiſtolam eodem tempore quo ad Coloſsenſes dabat, quæ interciderit (*d*). Verum Pauli Epiſtolam periiſse, ægre crederetur.

*Epiſtolæ ad Hebræos, Auctor, tempus, argumentum.*

VII. De Epiſtola ad Hebræos hic agendum, quam a Paulo ſcriptam fuiſſe certo tenemus, & mox etiam probabimus. In ea Fratrum Italiæ meminit (*e*); & licet nuſpiam appareat, an Romæ & in vinculis, an in eadem Urbe poſt acceptam libertatem, ſive alibi in Italia, ſcripta ſit; plures tamen literis mandatam cenſent, ſtatim ac vinculis ſolutus fuit

(*a*) Chryſoſt. Theodoret. Phot. Baron. Eſt. Tillem. Cornel. Bez. Ligf. Calm.

(*b*) Gregor. Philaſtr. Sixt. Sen. Stapul. Camer. Prætorius.

(*c*) Vide eam apud Calm. Coloſſ. IV. 16.

(*d*) Thom. Cajetan. Bellarm.

(*e*) Hebr. XIII. 14.

fuit (*a*). Hæc de tempore. Quantum vero ad Epiſtolæ Auctorem, nonnulli ex Patribus, & Eraſmus S. Clementi Papæ favent; alii pariter ex Antiquis, quos ſequitur Grotius, S. Lucæ; Tertullianus, & Camero S. Barnabæ; Lutherus & Beza, Apollo; Helleniſtæ cuidam Anonymo Joſephus Scaliger; alii S. Marco; alii Paulo, alteri tamen ab Apoſtolo; alii denique, quod magis mirere, ipſi Tertulliano. Verum ſententia, quæ pro Paulo Apoſtolo certat, omnino amplectenda eſt (*b*). Apud Eccleſiam enim Græcam vix hac de re dubitatum eſt. Eccleſia vero Latina, quamvis ab ea inter Pauli Epiſtolas recenſenda aliquando abſtinuerit, mature tamen ſatis cum Græca convenit, & a quarto ſæculo ad noſtrum uſque nullum de hoc inter utramque diſcrimen cernitur. Nam Ludovicus Vives, Cardinalis Cajetanus, & forte alii nonnulli, qui an Pauli ſit, ambigunt, inter tot tantoſque viros, qui contraria ſentiunt, vix conſiderantur. Auctoritati utriuſque Eccleſiæ ſuffragatur ratio: nam Auctor pollicetur, ſe ſe, aſſumpto Timotheo fratre, itineris comite, ad inviſendum Hebræos collaturum (*c*); quod uni Paulo congruere videtur. Suorum etiam vinculorum in ea Epiſtola meminit (*d*), ut in ceteris, quas ex Urbe Roma, ſive Italia, dedit. Nam licèt Vulgata habeat: *Et vinctis compaſſi eſtis* (*e*),

 Græ-

(*a*) Chryſoſt. Theodoret. Baron. Calm. Gotti, Uſſer. alii.

(*b*) Vide Diſſert. Calm.

(*c*) Hebr. XIII. 23.

(*d*) Hebr. X. 34.

(*e*) Hieron. Auguſt.

Græcus tamen legit: *Vos meis vinculis compaſſi eſtis*. Conſuetus pariter Pauli ordo, mos allegandi Scripturas, alluſiones, dogmata, vota, ſalutationes, preces, in hac Epiſtola ſe ſe produnt. At ſtilus, ajunt, a Paulino quam longiſſime diſtat. Id negat Spanhemius. Alii eam diverſitatem vel Interpreti, vel illi qui a ſecretis Paulo fuerat, tribuunt. Sed his omiſſis, nonne idem Auctor diverſo ſcribendi genere interdum utitur? Huic Epiſtolæ, urgent, Pauli nomen deeſt. Quidam exordium intercidiſſe putant; alii non Epiſtolam, ſed libellum in ea ſcriptione ſuſpicantur. Sed hæc ex Patribus velim accipias. Cum Pauli nomen apud Hebræos invidioſum eſſet, quod ipſum Legis hoſtem ducerent, illud ſapienter ſiluit, timens, ne eo offenſi vel inimico animo Epiſtolam legerent, vel omnino legere non curarent. Porro quæ probant, Paulum hujus Epiſtolæ Auctorem eſſe, probant etiam, ipſam eſſe canonicam & divinam, cum Paulum Spiritus ſancti lumine fuiſſe perfuſum, nemo unquam negaverit. Quare qui Epiſtolæ auctoritatem negarunt, vel eam non eſſe Pauli contendebant, ut Ariani; vel vitiatam dicebant, ut Marcionitæ. Scriptam illam Hebraico ſermone a Paulo, ac græce deinde redditam a S. Clemente, ſive ab alio quopiam, aſſerunt plures. Plures etiam autographum ejuſdem Epiſtolæ Syriacum fuiſſe, quod adhuc extat, cenſuerunt. Verum Origenes, & Critici peritiores græce primo exaratam fuiſſe ſtatuunt

tuunt (*a*). Hanc Epiſtolam ad Hebræos, qui Fidem ſuſceperant, in Judæa degentes, miſſam plerique cenſent. Eorum bona Judæi infideles impune invadentes, ad extremam egeſtatem illos redegerant, aliiſque modis crudeliter divexabant (*b*). Quare Apoſtolus hac Epiſtola ipſos conſolandos ſuſcepit, ad patientiam, & ad divini Judicii expectationem omnes exhortans. Qua occaſione Chriſti dignitatem, & ipſius Sacerdotii decora pluribus effert. Patriis ritibus ſtudebant adeo Hebræi, ut in mentem nequaquam inducere poſſent, Sacerdotium Aaronicum, Sacrificia, & Legem abolitum iri. Hanc opinionem præcidere volens Apoſtolus, excellentiam Chriſti ſupra Angelos, quorum miniſterio Legem acceperant, ſupra Moyſem, qui Legem promulgaverat, & ſupra Aaronicos Sacerdotes, qui juxta Legem, & ad Legem conſervandam ordinati fuerant, oſtendit. Porro Chriſtum Angelis & Moyſi eo potiſſimum nomine præfert, quod ille Filius Dei ſit, iſti vero Legati, & ſervi. Quantum autem ad comparationem inter Chriſtum & Sacerdotes Aaronicos, ita ratiocinatur. Chriſtus eſt Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedechi, in eoque luculentiſſime præfiguratus eſt. Melchiſedechus autem Aarone longe præſtabat. Primo enim Melchiſedechus benedixit Abrahamo, & ab eo decimas accepit; quibus in rebus ſe illo ſuperiorem exhibuit; & non illo tantum, ſed & Aarone, qui in lumbis Abra-



(*a*) Eſt. Dupin. Span- Ligf. Calm. hem. Mill. Grot. Cler. (*b*) Hebr. x. 32.

rahami continebatur. Deinde Melchiſedechus in Scriptura nullum habet exaratum dierum initium, aut finem, exhibeturque tanquam æternus & immortalis, nullo indigens ſucceſſore, qui ſane datus eſt Aaroni poſt ipſius obitum. Ex qua typica & umbratili Melchiſedechi æternitate veram Chriſti, ejuſque Sacerdotii æternitatem Paulus infert. Aſſerta autem ſuperioritate, & æternitate Sacerdotii Chriſti, pronum Paulo fuit Sacerdotii Aaronici, & Legis abrogationem colligere, & novum Fœdus, quod Prophetæ prædixerant, Chriſti eſſe Religionem oſtendere, in qua unicum ipſius Sacerdotium vigeat. Deſcripto denique longo Patriarcharum, Prophetarum, & Veteris Teſtamenti Sanctorum, quorum merita & fidem commendat, catalogo, nos per Fidem Deo acceptos fieri concludit. De hac Epiſtola, ex plurimorum ſententia, egit Petrus, cum ait: *Paulus ſcripſit vobis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant* (*a*).

*Paulus Pœnitentiæ remedium non tollit.*

VIII. Eo ſpectare videtur illud: *Impoſſibile eſt ſemel illuminatos, ſi prolabantur, rurſus renovari ad pœnitentiam* (*b*): & iterum: *Voluntarie peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia* (*c*). Ex quibus Novatiani inferebant, nullam in Eccleſia eſſe poteſtatem remittendi peccata poſt Baptiſmum commiſſa, ſaltem graviora, cujuſmodi ſunt idololatria, homicidium, adulterium.

Per-

(*a*) 2. Petr. III. 15.
(*b*) Hebr. VI. 4.
(*c*) Hebr. X. 26.

Perperam tamen; nam nil aliud docet Paulus, quam neminem poſſe repetito baptiſmo, remedio ſcilicet tam facili, novam peccatorum expiationem obtinere. Per baptiſmum enim morimur cum Chriſto, qui ſemel mortuus eſt, nec quiſpiam *illum rurſum ſibi crucifigere* poteſt, ut monet idem Apoſtolus (*a*). Quare fruſtra expectarent peccatores ut Chriſtus iterum mortem ſubiret, ſeſeque Patri hoſtiam offerret, quo ipſi novo baptiſmo expiari valerent. Non excludit ergo Paulus arduum pœnitentiæ remedium, ſed alterum baptiſmum, quem Judæorum baptiſmis, & ſacrificiis opponit, qui illa toties iterabant, quoties ſordium maculæ, & peccatorum culpæ exigerent. Præter hanc interpretationem pluribus probatam (*b*), aliæ etiam circumferuntur. Prima ſit: Impoſſibile eſt, Chriſtianos, in crimine mortuos, veniam in altera vita promereri, ubi nullus eſt baptiſmus, nullum Sacramentum, nulla hoſtia (*c*). Altera *impoſſibile* perinde ac *difficile* ſumit in hunc ſenſum: vix contingit ut ii qui graviſſimorum criminum ſunt rei, diſceſſionis præſertim a Fide, pœnitentiam agant, & veniam conſequantur (*d*). Tertia: ſi Fidem abjeceris, & ad Judæorum Sacra redieris, nullum in Moſaica Lege ſacrificium invenies, quo culpam hanc delere poſſis.

IX.

(*a*) Hebr. vi. 6.

(*b*) Chryſoſt. Theodoret. Hieron. Auguſt. Damaſc. Primaſ.

(*c*) Lombard. Ugo Victor.

(*d*) Lyr. Zeger. Rib. Eraſm. Grot.

*Paulus Arianis non favet.* IX. Ariani etiam, ut ſuum errorem tuerentur, dicebant: Filius Dei, juxta Paulum, *eſt ſplendor paternæ gloriæ*, & *figura ſubſtantiæ ejus*, *atque melior Angelis effectus* (*a*). Splendor autem, cum ſit corporis lucidi accidens, eo ſane minor eſt. Figura pariter, ſive imago, aut ſigillum, alterius ſunt a re expreſſa ſubſtantiæ. Tandem ſi Filius Dei effectus eſt, creaturarum cenſum non excedit, licet naturam Angelis meliorem ſortitus ſit. Hæc tamen nos minime terrent. Paulus ſiquidem ibi Filio Dei tribuit Mundi Creationem: *Tu in principio*, *Domine*, *Terram fundaſti*, & *opera manuum tuarum ſunt Cæli* (*b*): quæ quidem Creatio non niſi vero ſupremoque Deo convenire poteſt. Splendor igitur gloriæ Patris, & figura ſubſtantiæ ejus non ſunt quid extrinſecum, fluxum, & fucatum, ut radius e face vibratus, & expreſſa in ſpeculo oris ſimilitudo; ſed ſunt quid Deo intrinſecum, permanens, ſubſtantiale; quod autem tale eſt, Deus ſane eſt. Filius denique dicitur *melior Angelis effectus*, quod poſt reſurrectionem natura ejus humana gradum Angelis ſuperiorem aſſecuta fuerit.

*Fanaticorum error.* X. Fanatici noſtri ævi ſuum dogma his Apoſtoli verbis tuentur: *Non docebit unuſquiſque proximum ſuum*, *dicens*: *Cognoſce Dominum*; *quoniam omnes ſcient me*, *dicit Dominus* (*c*). Volunt igitur, ut in nova Lege quiſque mentis ſuæ impulſum ſequatur, ſpretis miniſtrorum, & Eccleſiæ Præſulum inſtitutionibus, ceu

(*a*) Hebr. I. 3. 4.
(*b*) Hebr. I. 10.
(*c*) Hebr. VIII. 11.

ceu ſuperfluis, cum Dominus per ſe ipſum omnes doceat: *Ponam omnes filios tuos doctos a Domino* (*a*). His multipliciter reſpondetur. I. Quæ objiciuntur, ex mero verborum ſono accipienda non ſunt, quippe quæ hyperbolicum quiddam ſonant (*b*). II. Explicanda hæc ſunt de Apoſtolis, & Diſcipulis Chriſti, primoribuſque Fidelibus, qui ab ipſomet Chriſto, & a Spiritu ſancto pleniſſime inſtructi fuerunt. III. Lex Nova Veteri comparatur: in ea perpauci divina Myſteria, & præcepta abſolutiſſime noverant; in hac vero Dei cognitio ad univerſas gentes manavit; & Fidelium deſpectiſſimi, pueri, humunciones, mulierculæ arcana Trinitatis, & Incarnationis, vaticiniorum explicationem, notas Meſſiæ, & viam ſalutis magis callent, quam qui inter Judæos eruditiſſimi habebantur. Ceterum privatus ſpiritus aut eſt ſpiritus mendacii, & ſequendus non eſt; aut eſt ſpiritus veritatis, & debet ab Eccleſia comprobari. Idem Paulus, qui objicitur, Evangelium ſane a Chriſto acceperat; & nihilominus illud cum Apoſtolis contulit, *ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet* (*c*).

XI. Novatores pariter nobis objiciunt, Miſſæ Sacrificium Pauli doctrinæ eſſe omnino contrarium. Docet enim, Novum Teſtamentum Veteri præſtare, quod in illo plura ſemper & plura offerrentur ſacrificia; in hoc vero Chriſtum *una oblatione conſummaſſe in ſempiter-*

*Miſſæ Sacrificio. Paulus non adverſatur.*

(*a*) Iſa. LIV. 13. Joan. VI. 45.

(*b*) Riber. Grot. Calm.

(*c*) Galat. II. 2.

*ternum ſanctificatos* (*a*), hoc eſt, deleviſſe omnia peccata, & plenam perfectamque juſtitiam induxiſſe: quod mirum eſſe non debet, cum oblatio, quam Chriſtus in cruce peregit, pretium infiniti valoris complecteretur. Ergo, ajunt, multiplicare tot Miſſæ ſacrificia, nihil eſt aliud, quam negare virtutem Sacrificii Crucis, ac ſi perfectæ æternæque Redemptioni minime ſufficeret. Quibus reſpondemus, nos non celebrare Miſſæ Sacrificium, ut Crucis Sacrificium perficiatur; quin aſſerimus, unum idemque eſſe Sacrificium Crucis, & Sacrificium Miſſæ, cum idemmet Chriſtus, qui olim in Cruce oblatus eſt, in Miſſa offeratur; ut non ſit alia hoſtia, aliud Corpus, alius Sanguis. Nec in ea Chriſtus iterum moritur, niſi tantum myſtice, quatenus ex vi verborum, quæ in conſecratione adhibentur, Corpus & Sanguis ad invicem ſeparata ponuntur, ac ſi Sanguis a corpore effunderetur. Duplici ergo de cauſa Miſſam celebramus: altera, ut tanti beneficii, quod moriendo Chriſtus nobis contulit, memores ſimus, juxta ipſius mandatum: *Hoc facite in meam commemorationem* (*b*): Altera, ut fructus illius beneficii, quo univerſalis Redemptio continetur, nobis in particulari applicetur, quemadmodum applicatur per alia quoque media, ut ſunt Sacramenta, eleemoſynæ, orationes, jejunia. Et ſi falſam adverſariorum doctrinam audias, applicatur per Fi-

(*a*) Hebr. x. 14.

(*b*) Luc. xxii. 19. Vide hanc Hiſtor. ſupra n. 7. & l. 2. c. 1. n. 17. 18. 19.

Fidem, licet operibus deſtitutam. Obſcura, quæ de Melchiſedecho habet Paulus, alibi utcumque dilucidata invenias.

*Varia S. Pauli itinera. Prima ipſius ad Timotheum Epiſtola. Deus omnium ſalutem vult. Pauli ad Titum Epiſtola. Paulus ſecundo Romam veniens carceri mancipatur. Petro ſugienti Chriſtus occurrit. Secunda Petri Epiſtola. Divina Bibliorum Inſpiratio. Igne Mundus abſumendus. Paulus iram Neronis declinat. Altera Pauli ad Timotheum Epiſtola. Idem ad Epheſios ſcribit. Petri & Pauli martyrium, ſepultura, forma. Quo tempore obierint. Libri illis ſuppoſiti.*

## C A P. II.

I. POſt ſoluta Romana vincula, & ſcriptam ad Hebræos Epiſtolam, ſtatuendum eſt Pauli iter in Hiſpaniam, ſi quidem in illas regiones progreſſus eſt (*a*). Subinde in Orientem reverſus, Judæam, Coloſſas, & Philippos adiiſſe creditur, quo ſuis ſtaret promiſſis (*b*). Cretam ſane petiit, & Epheſum, quarum Eccleſiis Epiſcopos dedit, Cretenſi ſcilicet Titum (*c*), Epheſinæ vero Timotheum (*d*).

Anno Christi 63.

*Varia Pauli itinera.*

II.

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 15. c. 11. n. 2.

(*b*) 2. Tim. IV. 13. Hebr. XIII. 23. Philem. verſ. 22. Philipp. II. 24.

(*c*) Tit. I. 5.

(*d*) I. Tim. I. 3.

ANNO CHRISTI 64.

*Prima Pauli ad Timotheũ Epiſtola. Hymenæi error.*

II. Epheſo in Macedoniam profectus, inde, ut plures autumant, primam ad Timotheum Epiſtolam ſcripſit, qua ipſum monuit, ut falſis Doctoribus obſiſteret, qui vanam ſcientiam ſectantes, a Fide defecerant, mercimoniumque de pietate facientes, flagitia quælibet religionis ſpecie obducebant. Hymenæum & Alexandrum proprio nomine notat, quos Satanæ devoverat, ut ab eo vel perſpicue divexati, tandem blaſphemare ceſſarent (*a*). Epheſius fortaſſe civis erat Hymenæus, qui primis Pauli ſuaſionibus victas Fidei manus dedit; at deinde lapſus eſt in illorum errorem qui Reſurrectionem jam peractam aſſerentes, futuram negabant (*b*). Alia facile iis non erat Reſurrectio, quam animæ a peccato ad Gratiam per Fidem & Baptiſmum converſio (*c*), ſive humani generis propagatio, qua pater in filio quodammodo reſurgit. Alexander idem ille fuiſſe creditur qui alibi ab Apoſtolo vocatur faber ærarius (*d*). Hic Paulo moleſtiam creavit, cum ſecundo Romæ in vinculis verſaretur. Sermo eſt in Actis de Alexandro quodam, qui in ſeditione per Demetrium argentarium Epheſi excitata contra Paulum, adiit theatrum, populum allocuturus (*e*). Idemne eſt? Alexandrum erraſſe in Fide certum eſt; quiſnam autem fuerit illius error, ignotum. In eadem Epiſtola agit Paulus de Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, & Viduis eligen-

(*a*) 1. Tim. I. 20.
(*b*) 2. Tim. II. 17.
(*c*) Auguſt. in Joa.u tract. 19.
(*d*) 2. Tim. IV. 14.
(*e*) Act. XIX. 33.

gendis, deque moribus qui illos, & ceteros omnes Fideles deceant. Timotheum hortatur ut modico vini hauſtu vitio ſtomachi medeatur, eamque in omnibus gravitatem & prudentiam oſtendat, quæ ipſius juventuti venerationem concilicet. Illi etiam, ſe Epheſum perventurum pollicetur; quod, ubi ſupremo itinere Romam contendit, forte perfecit.

III. Noſtro ævo maxime divexatur illud quod hic habet Apoſtolus: *Deus omnes homines vult ſalvos fieri* (*a*). Janſeniani hæc ad homines ſtatus innocentiæ referunt, non vero ad illos quos originalis culpa devinxit. Verum hæc eſt pura putaque illuſio; nam Paulus de his loquitur pro quibus orandum idemmet ſuadet, ſcilicet pro omnibus, etiam Regibus improbis, qui tunc dominabantur, quoſve ſpecialiter commemorat (*b*). Alii Paulum interpretantur de voluntate Dei impropia & metaphorica, qualis eſt in Deo ira, pœnitudo, commiſeratio (*c*). Sed deficit paritas: nam hæc quodam amaro affectu inficiuntur, qui ſummam Dei beatitudinem dedecet. Voluntas vero ſalvandi omnes, nullam involvit imperfectionem, nec minus Deo convenit, quam de creaturis omnibus providentia. S. Auguſtinus quadrifariam Pauli ſententiam explicat. Primum ut dicatur Deus velle omnes ſalvos fieri, quod nullus revera ſalvetur, niſi Deo volente & prædeſtinante; quemadmodum de unico Ludimagiſtro dicimus: *Omnes pueros lite-*

*Quomodo Deus velit omnium ſalutem?*

(*a*) 1. Tim. II. 3.
(*b*) 1. Tim. IV. 2.
(*c*) Bannez, Zumel, Bancel, Sylv. Eſt.

*literas docet* : non quod gymnaſium frequentent omnes omnino pueri, ſed quod nemo literis operam impendit, qui illo non utatur Magiſtro (*a*). Altera interpretatio eſt, ut *omnes* accipiantur diſtributive, quomodo dicitur omne animal fuiſſe in Arca Noe, ideſt, aliquod cujuſcumque ſpeciei animal; ita ut ſententia ſit, Deum velle ſalvos fieri nonnullos ex omni genere & conditione, Judæos, Græcos, pueros, adultos, pauperes, divites (*b*). Tertia expoſitio eſt, ut aſſeratur, Deum velle omnes ſalvos fieri, quoniam nos facit velle omnium ſalutem (*c*). Sic Spiritus ſanctus idcirco orare dicitur, quod ex illius inſtinctu nos oremus (*d*). Ultima expoſitio eſt, Deum contuliſſe humano generi in univerſum auxilia quamplurima externa, quibus ſuam pro omnium ſalute curam ac ſollicitudinem ſignificaret, nimirum Legem, Evangelium, Chriſti, & Sanctorum exempla, Apoſtolorum prædicationem, Eccleſiæ orationes (*e*). Haſce omnes interpretationes admittimus, rati tamen S. Doctorem loqui de efficaci, & abſoluta Dei voluntate circa hominum ſalutem, quam Pelagiani, ab eo impugnati, pernegabant, aſſerentes, Deum eodem prorſus amore, generali & indifferenti, amare & velle ſalutem tam Prædeſtinatorum, quam Reproborum,

(*a*) Ep. ad Vitalem, c. 15. de Civit. l. 22. c. 1. in Enchir. ad Laur. c. 102.

(*b*) In Enchir. c. 103. De Corrept. & Grat. c. 14.

(*c*) De Corrept. & Grat.

(*d*) Rom. VIII.

(*e*) S. Proſp. reſponſ. ad 1. & 2. Ob. Vinc.

rum, totumque ſalutis negotium & diſcretionem, hominum voluntati commiſſiſſe (a). Ceterum & ipſe Auguſtinus non omnino obſcure (b), & alii Theologi luculentiſſime, alteram Dei voluntatem agnoſcunt, inefficacem, & conditionatam, qua Deus vult omnes homines, nemine prorſus excepto, ſalvari, eaque de cauſa omnibus parat, exhibet, & confert etiam, niſi ea detrectent, auxilia ad ſalutem conſequendam ſufficientia (c).

*Prima Epiſtola ad Titum.*

IV. Cum Paulus inſtitutas a ſe Eccleſias inviſeret, Nicopoli Epiri urbe ad Ambraciæ ſinum (d), vel Nicopoli Thraciæ in finibus Macedoniæ ad Neſſum flumen (e), hyemare conſtituit (f). Ex ea urbe, vel cum in via ad illam adhuc eſſet, ſcripſit ad Titum, quem in Creta Epiſcopum reliquerat; cujus Epiſtolæ argumentum in deſcribendis Epiſcopi dotibus & officiis potiſſimum verſatur, vitæque rationem ſingulis hominum conditionibus, ſenibus nempe, viris, feminis, junioribus utriuſque ſexus, mancipiis, ab Epiſcopo præſcribendam, perſequitur. Spernendas eſſe docet Judæorum fabulas, & ineptas interpretationes, minimeque curandum ipſorum in cibis delectum, cum omnia mundis munda ſint. Monet inſuper, ut in Cretenſes auctoritatem ſuam exerat, & acrioribus verbis caſtiget,



(a) Berti l. 5. c. 1.

(b) De Spir. & Lit. ad Marcellin. c. 33.

(c) Damaſcen. S. Thom. alii paſſim.

(d) Hieron. Baron. Uſſer. Tillem.

(e) Chryſoſt. Theodoret. Capell.

(f) Tit. III. 12.

tanquam homines mendaces, iniquos, pigros, voraces, uti quidem eos deſcribit *proprius ipſorum Propheta* (*a*). Alii hic Callimachum vident (*b*); alii Epimenidem (*c*), cui ſane plures ex prophanis vaticinandi vim tribuunt. Verum Apoſtolus Prophetam illum per ludum facile appellavit, quod Gentiles eumdem ferme Poetis honorem tribuerent, quem Hebræi Prophetis.. Paulus præcepit Tito, ut ad ſe Nicopolim veniret, ſive ut eum in regendis Cretæ Eccleſiis magis inſtrueret, ſive ut ad fundandas alias Eccleſias ejus opera uteretur. Ne tamen interim Creta Inſula per Titi abſentiam diſpendium aliquod pateretur, monuit ne prius inde diſcederet, quam Artemas, ſeu Tychicus, quem eo mittebat, perveniſſet, ejus munera impleturus (*d*). Juſſit etiam ut ad ſe quantocyus Zenam, Legiſperitum, & Apollo, virum illum clariſſimum, mitteret, rebus omnibus neceſſariis, ne cui eſſent oneri, inſtructos. Hæc de Epiſtola ad Titum, qui Evangelii prædicandi gratia in Dalmatiam miſſus (*e*), adhuc in ea provincia verſabatur, cum Paulus alteram ad Timotheum daret Epiſtolam. E Dalmatia in Cretam rediiſſe fertur, ibique ſupremam clauſiſſe diem (*f*). Artemas, & Zena hoc tantum Scripturæ loco nominantur.

V.

(*a*) Tit. I. 12.
(*b*) Chryſoſt. Theodoret. alii.
(*c*) Vide Calm. hic.
(*d*) Tit. III. 13.
(*e*) 2. Tim. IV. 10.
(*f*) Bolland. 4. Januarii.

V. Altero anno Paulus in Aſiam tendens, cum Troadem veniſſet, penulam ibi & nonnullos libros apud Carpum hoſpitem ſuum reliquit (*a*). Penula aliis eſt veſtis exterior, quæ a pluvia protegebat, aliis vero ſacculus, ſive capſula libris continendis. Sunt etiam qui veſtem Senatoriam in penula videant (*b*). Troade Miletum Paulus venit, ubi Trophymum ægrotantem reliquit (*c*). Contendit ſub hæc Corinthum, ibique ex ejus Diſcipulis Eraſtus ſubſtitit; qua de cauſa, latet. Facile in eo itinere Timotheum Epheſi viſitavit, ut ei promiſerat (*d*). Poſt hæc omnia tandem Romam venit, facta ſibi a Deo martyrii obtinendi certiſſima ſpe; quod colligunt Patres ex illis verbis, quæ ex Urbe ad Timotheum ſcripſit: *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat* (*e*): quibus ſimilem ſe facit victimæ conſuetis aſperſionibus, & libationibus profuſæ, cui nil niſi ignis deeſt. Per id temporis etiam Petrus Romam venerat; quare ambo Apoſtoli inſtruendis Judæis, Gentilibuſque operam dederunt, adverſus libidinum monſtra, quæ ibi regnabant, zelum ſuum maxime oſtendentes; quod cum Nero, vitio hujuſmodi addictus, reſciviſſet, de eis exterminandis cogitare cœpit (*f*). Memoriæ quoque proditum eſt (*g*), ipſos prædixiſſe, Prin-

Anno Christi 65.

*Paulus ſecundo Romam venit, ubi carceri mancipatur.*

N 2 ci-

(*a*) 2. Tim. IV. 13.

(*b*) Vide Calm. v. *Penula*.

(*c*) 2. Tim. IV. 20.

(*d*) 1. Tim. III. 14. IV. 13.

(*e*) 2. Tim. IV. 6.

(*f*) S. Aſter. hom. in SS. Petrum & Paulum.

(*g*) Lactant. 14. c.21.

cipem brevi regnaturum, qui univerſam Judæam funditus everteret, ob mortem Filio Deo illatam. Accidit autem ut Apoſtolus, qui Poppææ Neronis concubinæ, ejuſque Pincernæ in priori adventu aliquanto innotuerat, in hoc ſecundo familiarius ad eos accedens, utrumque ad Chriſtum adduxerit; quod Neronis iram, qui feminam illam perditiſſime deperibat, adeo commovit, ut carceri Paulum tradi juſſerit. Hæc ex recepta traditione narrat Chryſoſtomus (*a*).

*Petrus, dum fugit, obvium habet Chriſtum.*

VI. Alii ex Antiquis cauſam, cur Petrus & Paulus carceri ſimul mancipati fuerint, invidiam, quam ſibi apud Ethnicos, ob necem Simonis Magi crearunt, conſtituunt (*b*). Verum hæc minime iis quæ ſuperius allata ſunt, opponuntur, cum utraque cauſa animum Neronis movere potuerit. Cum igitur Petrus & Paulus ſuis precibus ex aere Simonem in terram detraxiſſent (*c*), Ethnici, qui eum ſummo honore, ac veluti Numen quoddam habuerant, indignati, necem utrique machinari cœperunt. His territi Fideles, Apoſtolorum Principem rogare, ut periculum declinaret, ſeſeque Eccleſiæ utilitati reſervaret. Importunis eorum precibus deſiderium martyrii, quo flagrabat, poſtponens, noctu ſeceſſit. Cum ad Urbis portas perveniſſet, Chriſtum Jeſum obvium habuit; illum vero interrogans, *Quo vadis?*

(*a*) Hom. 46. in Acta, Arnob. l. 2. Max. Tyr. & adver. vitup. Vitæ Gregor. Turon. alii. Monaſt. l. 1.

(*b*) Conſtit. l. 7. c. 19. l. 15. c. 4. n. 9.

(*c*) Vide hanc Hiſtor.

*dis?* reſpondentem audiit: *Venio Romam iterum crucifigi*. Horum verborum ſenſum Petrus aſſequutus, mortem ſibi per crucem obeundam intellexit, recordatus facile illorum verborum, quæ ei poſt Reſurrectionem dixerat Jeſus: *Cum ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis* (*a*). Quare regreſſus, Fratribus viſionem narravit (*b*). Mox ab Ethnicis comprehenſus, poſt novem menſium carcerem ſublatus eſt. Hanc fortaſſe viſionem ſpectavit idem Petrus, cum ſcripſit: *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi* (*c*).

VI. Petrus etſi carceri addictus Apoſtolatus ſui muneri non defuit; Chriſtum enim prædicans, quadraginta ſeptem animas ei lucratus eſt, geminoſque præterea carceris cuſtodes, Proceſſum & Martinianum; qui omnes martyres obiere (*d*). Ad hæc, datis ad Fideles ex Circumciſione literis, ea quæ olim & præſens docuerat, & per priorem Epiſtolam explanaverat, in memoriam iterum revocavit. Illos etiam atque etiam hortatur, ut nihil ea curantes quæ a pravis Doctoribus vel verbo, vel exemplo traduntur, bonis operibus ſedulo incumbant, immotique in perſecutionibus conſiſtant. Judicii ſupremi diem, & hominum Reſurrectionem impugnantes refutat.

*Altera Petro Epiſtola.*

N 3 Pau-

(*a*) Joan. XXI. 18.
(*b*) Origen. G. L. in Joan. t. 2. p. 128. 298. Ambroſ. ſer. 68. & alibi.
(*c*) 2. Pet. 1. 14.
(*d*) Martyr. Rom. ad diem 14. Martii.

Pauli Apoſtoli Epiſtolarum meminit, eaſque laudibus proſequutus, una cum ceteris Scripturis in pravum ab aliquibus detorqueri ſenſum teſtatur. De hujus Epiſtolæ Auctore aliquando a nonnullis dubitatum eſt, maxime propter ſtili varietatem, eamque Grotius Simeoni Hieroſolymorum Epiſcopo, Jacobi ſucceſſori, tribuere mavult. Verum cum nomen Petri præferat, aſſeratque Auctor, Chriſti Transfigurationi ſe adfuiſſe, & alteram ſcripſiſſe Epiſtolam, tres habemus notas, quæ uni tantum Apoſtolorum Principi convenire poſſunt. Stili varietatem Critici peritiſſimi vix agnoſcunt, cujus etiam cauſam S. Hieronymus in diverſos Interpretes refert; modo enim Glauciam, modo Marcum Petrus adhibebat (*a*).

*Divina Bibliorum Inſpiratio aſſeritur.*

VII. Dum Petrus Fideles hortatur, ut divinis Scripturis vacent, monet, ſacros Auctores privato ingenio loquutos non fuiſſe; ſed a *Deo inſpiratos* (*b*); quibus confutatur error nedum illorum qui dicunt, Bibliorum Auctores credulis populis Miracula, Dogmata, Religionem, Deum obtrudiſſe; ſed & illorum qui putant, ipſos vera quidem ſcripſiſſe, ſed nil ſupernaturale in ea ſcribendo agnoſcendum. Sufficit, ait Spinoſa unus ex eis, in Hiſtoricis, Prophetis & Apoſtolis fides tantummodo & memoria in iis recenſendis, quorum notitiam habuerunt vel ex aliorum relatione, vel ex Dei revelatione, vel ex proprio oculorum auriumque teſtimonio; in Scriptoribus vero moralibus præter ſapientiam, & pietatem fru-

(*a*) Vide Calm. præfat. (*b*) 2. Petr. 1. 21.

fruſtra aliud requiras. Contra Atheiſtas illos nonnulla alibi a nobis dicta ſunt (*a*). Alios vero ita impugnamus. Si Deus eſt, eſt etiam Religio; homini enim quædam neceſſario præſtanda ſunt, quibus Deum ſupremum eſſe Dominum, ſe vero illius ſervum profiteatur. Religio autem minime exiſtit, niſi expreſſe revelentur ea quæ Deus ab homine exigit, & qua ratione cultum & famulatum ſibi velit impendi. Si enim homini indulgeret Deus ut is, quemcumque vellet, ſibi cultum tribueret, omnibus, ut libitum cuique eſſet, fidem & cultum inſtituentibus, in errorum & ſuperſtitionum congeriem Religio converteretur. Quo autem Religio conſtans eſſet, communis, & permanens, minuſque fanaticæ impietati ſubjaceret, qua quis ſe altero magis illuminatum venditaret, diſpoſuit Deus ut quæ credenda, & exercenda ſelectis quibuſdam viris revelaſſet, publicis, & hominum ingenio accommodatis Scripturarum monumentis fere omnia traderentur; ſtabilito inſuper Eccleſiæ Tribunali, ut ſi quid diſſidii de harum Scripturarum explicatione oriatur, ſtatim componi poſſit. Neceſſaria autem fuit in iis qui a Deo revelata literis tradebant, Dei inſpiratio: quæ ſi removeatur, ſcripta illa omnia erunt incerta, minimeque divina Fide digna, cum homo ſuis viribus relictus, quamvis probitate, & ſapientia præditus ſit, ſemper falli & fallere poſſit. Porro triplex Inſpiratio nota eſt, *Antecedens*, *Concomitans*, & *Subſequens*. Plu-

N 4 res

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 3. c. 15. n. 10. & l. 4. c. 15. n. 7.

res autem Theologi omnia Inſpirationi antecedenti ſubjiciunt, rati, ſacros Scriptores nihil omnino exaraſſe, nec quoad ſenſum, nec quoad verba phraſeſque ac minutiſſimos quoſcumque apices, quod actu & immediate non acceperint prius a Spiritu ſancto. Alii admittunt quidem Inſpirationem antecedentem quantum ad ea quæ nulla vi humana conſequi poterant, ſed in ceteris, quæ vel per ſe, vel per alios reſciverant, Inſpirationem tantummodo concomitantem agnoſcunt, qua ſacri Scriptores ſpeciali Spiritus ſancti adſiſtentia regerentur, ne in referendo ea quæ perſpecta habebant, umquam deciperentur. Ceteri tandem addunt & Inſpirationem conſequentem; cum ſcilicet ea quæ quiſque ſua induſtria, abſque ullo ſupernaturali auxilio literis mandavit, deinde auctoritate Dei, vel Eccleſiæ confirmantur. Tertiam hanc ſententiam retulimus quidem, ſed minime approbamus; alioquin & Symbola, & Canones, in quibus nullus ſane eſt error, cum approbata ſint ab Eccleſia, in ſacrarum Scripturarum cenſum referre poſſemus. Sacræ Scripturæ nedum rerum veritatem, ſed & Auctoris dignitatem requirunt.

*Mundi conflagratio.* VIII. Docet Petrus, Deum, qui quondam aquis Mundum demerſit, Cælum & Terram *igni reſervare in diem Judicii* (*a*). Vetuſtiſſima eſt de univerſali Mundi conflagratione traditio, adeo ut Joſephus illam ex Adamo repetat (*b*). Idem docuere & Prophani, ſive id

(*a*) 2. Petr. III. 7. (*b*) Antiq. l. I. c. 3.

id ex populorum opinione, ſive ex naturalium rerum contemplatione hauſerint (*a*). Nonnullis enim ex Philoſophis Sol terris in dies accedere videtur; aliis vero probabile eſt, ut ſubterraneus ignis, qualis in Etna, & Veſevo videtur, aliquando late erumpat, omnia incenſurus. At nos Mundi incendium ſummæ Dei potentiæ deputamus (*b*). Tres autem de illo igne feruntur ſententiæ: alii enim ante univerſale Judicium omnia igne corripienda ſtatuunt (*c*); alii peracto Judicio malunt (*d*); alii denique, media via incedentes, ajunt, ignem ante Judicium quidem a Deo immittendum, qui omnia vorabit, præter eam Telluris partem, in qua Deus Mundum judicabit; poſt Judicium vero, partes ignis ſubtiliſſimæ ſuperna petituras, craſſiores una cum improbis ad Infernum deſcenſuras (*e*). Quamvis autem plures, eo igne Mundum in nihilum, aut in Chaos redigendum cenſeant (*f*), communis tamen ſententia ipſum in melius tantummodo mutandum præfert. Ea igitur ignis dumtaxat deſtruet quæ huic mortali vitæ inſerviunt, animalia nempe, arbores, & id omne quod ad immortalitatis & incorruptionis ſtatum, quo corpora poſt Reſurrectionem dona-

(*a*) Zeno, Pythag. Heracl. Ovid. Lucan. Senec. alii.

(*b*) Vide Diſſert. Calm. de fine Mundi.

(*c*) S. Thom. Mag. Sentent. Palud. Durand. Major. Richard.

(*d*) Aug. de Civit. l. 20. c. 30.

(*e*) Ludovic. Tena, & Cornel. a Lap.

(*f*) Catharin. Salmer. Serrar. Luther. Vorſt.

donabuntur, non pertinet. Cetera vero Deus igne purgata, innovabit, perficietque. An autem & Cæli ipſi & Aſtra flammis ſubjicienda ſint, in utramque partem diſputatur. Verum opinio negans præferenda videtur. Auguſtinus ſane ea Petri verba, *Cœli magno impetu tranſient* (*a*), de aere, ſeu atmoſphæra explicat (*b*). Abire videbuntur Cæli, & evaneſcere, cum Terra & alia elementa conflagrabunt. Pueros ante baptiſmum & rationis uſum mortuos, futuros novi Mundi incolas, nonnulli ex Theologis docuerunt. Quin illorum quidam etiam beatitudine naturali, perfectaque animi & corporis habitudine, in novo illo ſtatu donandos eſſe, volunt (*c*); ex qua ſententia profecto flores, fructus, metalla, lapides, & cetera omnia, quæ & Mundi eſſent ornamento, & incolarum deliciis, Terra habere deberet (*d*). Sed de his, quæ valde ſunt incerta, ſatis ſuperque.

*Paulus Neronis iram fugit.*

IX. Cum Paulus catenis oneratus Romæ detineretur, Chriſtiani ex Aſia in patriam rediere, vel diſſimulata amicitia ipſum penitus deſtituerunt. Oneſiphorus tamen ex ea regione, ubi multum Eccleſiæ inſervierat, Romam profectus, ibique Paulum vinculis adſtringi intelligens, ſtudioſe perquiſitum reperit, ac miniſterio recreavit. Quare & illi, & illius familiæ bene precatus eſt Apoſtolus (*e*), alteram

ad

(*a*) 2. Petr. III. 10.
(*b*) De Civit. l. 29. c. 14. 16. 18. 24.
(*c*) Cathar. Salmer.
(*d*) Vide Calm. in 2. Petr. III. 13.
(*e*) 2. Tim. I. 15.

ad Timotheum ſcribens Epiſtolam. Cum vero plurimorum ſane ſententiam ſequuti, teneamus, Oneſiphorum tunc e viris jam ceſſiſſe (*a*); hinc habemus invictum orationis pro mortuis argumentum. Apoſtolus vinctus coram Nerone, ut docet Chryſoſtomus (*b*), & tenet communis opinio, vel coram minori aliquo Judice, ut quidam malunt (*c*), adductus eſt. Sed qui in prioribus vinculis, quando nempe Cæſarem appellaverat, amicos multos, etiam ex *Aula, habuit (*d*), in his ſecundis, cum primo ſe defenderet, ab omnibus, qui ei amicitia & gratia opem ferre poterant, derelictus eſt (*e*). Lucas quidem, & alii ex Diſcipulis, animo ſane Apoſtolo adhærebant; ſed ſi partes illius palam ſuſcepiſſent, cum eſſent in eadem cauſa, Judicis iram magis magiſque provocaſſent. Quamvis autem Paulum dereliquerint homines, Deus tamen ſpectandum illi ſe ſe exhibuit, ſuaque gratia confortavit, ut paſſiones alacriter ferret, & prædicationis opus perficeret. Quin tunc ex leonis, Neronis videlicet, faucibus liberatus eſt (*f*). Utrum autem omnino vinculis fuerit ſolutus, an tantummodo mortis diſcrimen evaſerit, ignoramus.

*Altera Pauli ad Timotheũ Epiſtola. Timothei Martyrium.*

X. Vinculis devinctum fuiſſe, cum alteram ad Timotheum Epiſtolam daret, certum tenemus

(*a*) Eſt. Calm. Grot. alii.

(*b*) Chryſoſt. hom. 10. in 2. Tim. IV.

(*c*) Eſt. Hammond.

(*d*) Philipp. IV. 22.

(*e*) 2. Tim. IV. 16.

(*f*) 2. Tim. IV. 17.

mus (*a*). In ea Paulus illum monet, ut celerrime Romam proficiſcens, comitem itineris Marcum adhibeat, & eam veſtem, & libros, quos apud Carpum reliquerat, ſecum afferat. Præcipuum Epiſtolæ argumentum eſt ſuadere Timotheo, ut munera Epiſcopi fideliter impleat, teneatque firmiter doctrinam, quam ab ipſo acceperat, falſos illos Doctores devitans, qui nova & inania dictitabant, ut audientium aures mulcerent. Phigelli, Hermogenis, & Demæ defectionem deplorat (*b*); Hymenæi & Phileti errorem de Reſurrectione jam facta, & Jannes, ac Mambres, qui olim Moyſi reſtitere audaciam notat. De malis ſibi ab Alexandro fabro ærario illatis quæritur; Aviæ Loidis, & Eunices Timothei matris, quæ a teneris annis pietate & ſacris literis virum imbuerat, meminit (*d*); eumque denique plurium Fidelium Romanorum nomine ſalutat. An Timotheus ante Pauli mortem Romam pervenerit, incertum. Sub Nerone obiiſſe Timotheum ferunt (*e*). Epheſi infideles, dum cujuſdam ſupplicationis ſpecie Idola per Urbem deferrent, multa procaciter perpetrabant. Quare Timotheus, ut impiam ſolemnitatem turbaret, medius in eos irrupit; a quibus illico fuſtibus contritus, & lapidibus obrutus, exanimis prorſus relictus eſt; ſtatimque a Diſcipulis in montem proximum delatus, paulo poſt occubuit, ibique conditus; unde poſtea
ejus

(*a*) 2. Tim. I. 8.
(*b*) 2. Tim. I. 15. IV. 9.
(*c*) 2. Tim. II. 17. III. 8.
(*d*) 2. Tim. I. 5.
(*e*) Bolland. 22. Januar.

ejus Reliquiæ Conſtantinopolim delatæ fuerunt. Timotheus pluribus ipſiſſimus eſt Angelus Epheſinæ Eccleſiæ, cujus S. Joannes in Apocalypſi teporis vitium caſtigat (*a*); quem tamen defectum tolerato martyrio vir ſanctus reparaverit. Multi tamen ex Interpretibus reprehenſionem illam Timotheum minus, quam membra quædam illius Eccleſiæ, quæ e priſtina caritate exciderant, ſpectaſſe volunt; alii non Timotheum, ſed Oneſimum ipſius ſucceſſorem ibi vident.

XI. Epiſtola quoque ad Epheſios in vinculis ſcripta eſt (*b*); & licet plures id intelligant de prioribus vinculis, alii tamen de his poſterioribus explicandum contendunt (*c*), quod Timothei nomen in illius titulo una cum Paulo non memoretur, ut fit in eis quæ in prioribus vinculis ſcriptæ fuerunt ad Coloſſenſes, ad Philippenſes, & ad Philemonem. Primo explicantur in ea Epiſtola potiſſima Fidei myſteria, Redemptio nempe, Juſtificatio per mortem Chriſti, gratuita Prædeſtinatio, Vocatio Gentium, duorum Populorum unio ſeu ædificatio, cujus lapis angularis eſt Chriſtus; ac tandem ejuſdem Capitis ſuper omnes creaturas & ſpirituales, & corporales eminentia: Ethnicos deinde ad Fidem traductos præcipue ſpectat Apoſtolus, quos, a ſua in Idololatriam, Magicen, curioſas artes, & turpitudines proclivitate nondum penitus amotos, caſtigat. Tandem omnibus, ut mores componant, & mutuam ſervent pacem, regulas præſcribit, il- *Pauli Epiſtola ad Epheſios.*

lud

(*a*) Apoc. II. 1, 2.

(*b*) Epheſ. III. 1.

(*c*) Baron. Eſt. Tillem. Gotti.

lud ſimul monens, ut ſe ſe armis ſpiritualibus tueantur, pugnentque fortiter adverſus *Principes*, *Poteſtates*, *&* *Rectores Mundi tenebrarum harum*, *contra ſpiritualia nequitiæ*, *in cæleſtibus* (*a*). Ordinem Dæmoniorum in novem claſſes adinſtar cæleſtium Hierarchiarum Agrippa diſtinguit, ab aliquo Dæmone forte edoctus, ut Berti ſuſpicatur (*b*). In prima claſſe ſunt *Pſeudothei*, divinum cultum ab Idololatris captantes, quorum Princeps eſt *Beelzebub*. In altera *Spiritus mendaciorum*, quibus præeſt *Python*. In tertia *Vaſa iniquitatis*, hoc eſt Spiritus malarum artium inventores, qui parent *Belial*. In quarta *Ultores ſcelerum*, ſub *Aſmodæo*. In quinta *Præſtigiatores*, fictis miraculis homines decipientes ad nutum *Sathanæ*. In ſexta *Aereæ Poteſtates*, quibus cura eſt terræ & mari nocere, eiſque præeſt *Miririm*, vel *Dæmon meridianus*. In ſeptima *Furiæ*, Dæmones ſcilicet diſcordiarum bellorumque auctores, quorum Dux *Apollion*, ſive *Vaſtator*. In octava *Accuſatores hominum*, ſub Principe *Diabolo*, id eſt Calumniatore. In ultima *Tentatores*, ſive *Genii mali*, qui ſingulos homines ad ſcelera impellunt; eorumque agmen ducit *Mammon*, quod interpretatur Lucrum, vel Cupiditas. Facile hæc Ordinum diſtinctio conficta eſt; explicandis tamen Dæmonum nominibus, quæ in Scriptura occurrunt, nonnihil deſervit.

*SS. Petri & Pauli Martyriũ, & ſepultura.*

XII. Nero tandem, vel antiqua de cauſa, vel

(*a*) Eph. VI. 12.

(*b*) De Theol. Diſcipl. l. 10. c. 18.

vel nova ſuperveniente accuſatione, ſorte quod & in carcere detenti adhuc Chriſtum prædicarent, vel quod Cæſaris amicas ad caſtitatem adducerent, Petrum & Paulum condemnavit, alterum quidem, utpote vilis conditionis, ſupplicio crucis, alterum gladii. Ab eodem carcere Mamertino, qui etiam nunc ad Capitolii radices viſitur, educti, mutuaque ſalutatione in oſculo ſancto impartita, diſſociantur, & ad locum ſupplicii pertrahuntur, Petrus nempe ad eam Janiculi, ſive Vaticani montis ſummitatem, quæ ſubjectæ ad Tiberim Naumachiæ imminebat (*a*); Paulus vero ad Aquas Salvias, ſeu Guttam jugiter manantem, tertio ab Urbe lapide. Uterque flagellis cæſus ante mortem creditur. Certa etiam traditione tenemus, Petrum capite in terram obverſo in crucem elatum fuiſſe (*b*), quod ultro ipſe a tortoribus petierat, ne Jeſu Chriſti gloriam affectare videretur; tum ut ſupplicii cruciatus augeretur. Utrum vero clavis fuerit cruci confixus, an funibus alligatus, ambigitur. De Paulo fert traditio, cum ad portam Urbis perveniſſet, ipſum obviam habuiſſe feminam nobiliſſimam Plantillam, Flaviæ Domitillæ matrem, a qua petierit, obtinueritque velum, quo feriendus gladio de more tegeret oculos. Traditur etiam, dum ad martyrium duceretur, tres milites ad Fidem convertiſſe, qui juſſu Neronis martyrio pariter coronati fuerunt. Addunt e ſectis capitis Pauli venis,

non

(*a*) Vide Baron. ad an. *69*.

(*b*) Euſeb. Pruden. Aſter. Chryſoſt. Ambroſ.

non tam ſanguinis, quam lactis fluenta prodiiſſe; ipſum vero caput tres emiſiſſe ſaltus, unde tres fonticuli ſtatim eruperint, quorum primus lactis ſaporem aliqua ex parte reddat, reliqui vero, quamvis a primo haud longe diſſiti, diverſum ſaporem afferant. Locus frequenti Fidelium concurſu colitur, & ad *Tres Frontes* dicitur (*a*). Neronem ipſum martyrio Pauli fuiſſe præſentem, ſcriptis tradidit S. Clemens Papa. Conditum fuiſſe Petri Corpus in Vaticano, Pauli vero in via Oſtienſi, quæ deinde loca magnificentiſſimis Templis decorata fuerint, certum eſt, patetque ex Cajo antiquiſſimo illo Presbytero Romano, qui adverſariis dicebat: *Ego vero Apoſtolorum trophæa poſſum oſtendere. Nam ſive in Vaticanum, ſive ad Oſtienſem viam pergere libet, occurrent tibi trophæa eorum, qui Eccleſiam illam* (Romanam) *fundaverunt* (*b*). Hanc autem cauſam afferunt, cur ſocii in Fide, & Martyrio, ſociati non ſint in ſepultura, quod ſcilicet Lucina clariſſima femina pro ſua erga Paulum pietate, curaverit, ut in ſuo prædio via Oſtienſi illius corpus ſepeliretur; Judæi viciſſim, qui regionem tranſtiberinam ad Vaticanum uſque incolebant, ut corpus Petri, qui præcipuus erat ipſorum Apoſtolus, eo in loco conderetur, obtinuerint (*c*).

*SS. Petri & Pauli forma.* XIII. Petrus, ut refert Nicephorus (*d*), cor-

(*a*) Vide Baron. ad an. 69. & Gotti, de Petri & Pauli Martyrio.
(*b*) Euſeb. Hiſt. l. 2. c. 25.
(*c*) Vide Baron.
(*d*) Niceph. l. 2. c. 37.

corpore erat non craſſo quidem, ſed procero rectoque; ore albenti, ad pallorem inclinato; coma & barba denſa, criſpanti, atque breviori; oculis nigreſcentibus, maculis quibuſdam ſanguineis aſperſis; quibus alta ſupercilia, & prominens frons imminebant; naſo vero oblongo, ſimo potius, quam acuto. Paulus corpore erat parvo, & contracto, atque incurvo, & paululum inflexo, facie candida, annoſque plures præſeferente, & capite modico; oculis multa inerat gratia, ſupercilia deorſum verſus vergebant, naſus pulchre inflexus, idemque longior, barba denſior, & ſatis promiſſa, eaque non minus, quam capitis coma canis reſperſa erat. Hæc Nicephorus facile hauſit ex antiquis imaginibus, quæ ad Apoſtolorum ætatem pertingerent (*a*).

*Quo die & anno Martyriũ ſubierint.*

XIV. Quod eadem vigeſima nona Junii die utriuſque Apoſtoli Martyrium contigerit, conſtans eſt traditio; quod vero eodem etiam anno, pariter Scriptores omnes conſentiunt, ſi Auguſtinum, Prudentium, & Aratorem excipias, qui poſt annum a Petri morte Paulum obiiſſe ferunt (*b*). Majus diſſidium eſt de anno a Chriſti Nativitate, quo Martyrium paſſi ſunt. Et quamvis ea diſcrepantia late pateat, ſcilicet ab anno *64*. uſque ad *73*. communior tamen & magis probata ſententia reſpicit vel annum *66*. vel annum *68*. Qui enim putant, Apoſtolos paſſos fuiſſe, antequam Ne-



(*a*) Vide Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 18.

205. de Sanctiſ. Prudent. de Mart. hymno 12. Arat.

(*b*) Aug. ſer. 28. ſive in Act. l. 2.

ſo in Achajam iret, annum 66. præferunt, ut Pagius, Tillemontius, Calmetus; qui vero illorum paſſionem ad Neronis reditum prorogant, annum 68. malunt, ut Alexander, Graveſon, Gotti, & Baronius (*a*).

*Falſa & apocrypha Petro & Paulo attributa.*

XV. Fuerunt inter Ethnicos qui Petrum Magiæ accuſaverint (*b*); plurium etiam ſuperſtitionum uſum ab eo ſe didiciſſe, Ebionitæ comminiſcebantur (*c*). Apocrypha quædam, *Itinerarium* nempe, *Acta*, *Evangelium*, *Apocalypſis*, *Prædicatio*, & *Judicium Petri*, eidem Petro adſcripta fuere (*d*). Pauli etiam nomine ſcripta plurima vulgata ſunt, tanto viro indigna. De *Itinerario Pauli & Theclæ*, de *Epiſtolis inter Paulum & Senecam*, & de *Pauli ad Laodicenos Epiſtola*, alibi egimus. Præter quatuordecim Epiſtolas, quas Paulus veriſſime ſcripſit, tres alias quidam ſuſpicati ſunt, nempe tertiam ad Theſſalonicenſes, tertiam pariter ad Corinthios, & ſecundam ad Titum. *Acta*, *Prædicatio*, *Evangelium*, *Apocalypſis*, *Orationes Pauli* apud Antiquos nota ſunt (*e*).

De

(*a*) Baron. in Martyrol. ad diem 29. Junii; in Annal. an. 69. mavult.

(*b*) Aug. de Civit. l. 18. c. 53.

(*c*) Epiph. hær. 30. c. 15.

(*d*) Vide Calm. v. *Petrus*.

(*e*) Vide Calm. v. *Paulus*, & proleg. in Epiſt. ad Rom.

*De Joachimo, & Anna B. Virginis parentibus traditio. Singularis de illis narratio. Utrum Anna tribus viris nupſerit? Certus eſt B. Virginis obitus, licet obieritne Epheſi, an Hieroſolymæ ignoretur. An illius funeri adfuerint Apoſtoli? B. Virginis forma, imagines, literæ.*

## CAP. III.

I. BEatæ Mariæ Virginis Jeſu Chriſti Matris res geſtas, ubi ſe ſe offerebat occaſio, in Hiſtoria evangelica, & in exordio Actuum Apoſtolorum exhibuimus. Idem & de Joſepho ipſius Sponſo a nobis præſtitum eſt. Supereſt ut quæ de illius parentibus, Joachimo, & Anna, ac de ejus obitu, ſepultura, & reſurrectione Patres literis conſignarunt, in medium proferamus. Nam de ea poſt Spiritus ſancti illapſum, altum adeo eſt apud divinos Auctores ſilentium, ut ne ſemel quidem nomen ipſius commemorent. Silet etiam Scriptura de B. Virginis patre, & matre, niſi eam ſententiam amplectaris, quæ docet, S. Lucam exhibuiſſe Mariæ genealogiam, & Heli unum eumdemque eſſe, ac Joachimum; quod ſane, ſaltem quantum ad nomen, perperam negaretur (*a*). *Scriptura de B. Virginis parentibus, & de ipſius exitu ſilet.*

II. Beatæ Mariæ Virginis parentes fuiſſe Joachimum, & Annam, prodit Protoevangelium, S. Jacobi nomine inſcriptum, quod A- *De SS. Joachimo & Anna traditio.*

O 2 po-

(*a*) Berti de Theolog. Diſcipl. l. 26. c. 3.

poſtolorum ætate, vel altero Eccleſiæ ſæculo exaratum eſt. Eadem refert & alterum Nativitatis Evangelium, a Seleuco, qui ſecundo ſæculo & ipſe ſcribebat, literis mandatum. Hoc autem non ob id refero, ut auctoritatem aliquam Libris apocryphis attribuam; ſed ut hujus tantum traditionis vetuſtas comprobetur. Quamquam alioquin non lateat, Veteres ſane multos plura ex illis Evangeliis decerpſiſſe, & in ſuum ſuccum derivaſſe (*a*). Profecto Ebionitæ, & Seleucus nullum ſibi commodum obventurum ducebant, ſi poſteritatem de Joachimi & Annæ nominibus in errorem pertraherent. Aliunde hæc nomina reſcire poterant; eratque e re ſua illa in ſuis operibus exhibere, ut Lectores veritate illorum capti, firmiori aſſenſu fabulas, anileſque narratiunculas, quibus Libri illi ſcatent, exciperent. Adeo autem in toto Oriente hæc traditio pervagata erat, ut ipſemet Mahumetus in ſuo Alcorano de Joachimo & Anna mentionem faciat, licet eorum filiam Mariam cum Maria Moyſis ſorore confundat (*b*). Sed meliora promenda ſunt. Joachimum & Annam Mariæ parentes fuiſſe, tradunt Epiphanius, Damaſcenus, Andreas Cretenſis, Iſidorus Theſſalonicenſis, Cedrenus, Nicephorus, ac tota denique Eccleſia. Vetuſtior quidem eſt illorum cultus in Eccleſia Græca, recentior in Latina; ſed utraque illis diem feſtum & publicos honores præſcripſit.

(*a*) Calm. de Genealog. J. C. & Dict. v. *Joachim*.

(*b*) Sur. a. 3. Vide notas Marracii ibid.

pſit. Julius II. Feſtum S. Joachimi circa annum 1510. inſtituiſſe creditur. S. Pius V. illius Officium e Breviario delevit, quod multa apocrypha in eo continerentur; ſed Gregorius XV. expurgatum reſtituit.

III. En quod peculiare traditur in Protoevangelio S. Jacobi. Joachim, vir ſummæ in Iſraele auctoritatis erat, ac omnibus feſtis diebus ſacra in Templo magnifice obibat. Cum quadam die ſuam eſſet hoſtiam immolaturus, quidam, nomine Ruben, hoc ipſi minime licere, quod liberis careret, dixit. Joachim gravi pudore ſuffuſus, in deſertum, ubi ingens pecorum grex ſibi erat, ſeceſſit. Quadraginta diebus ibi moratus eſt, jejuniis & orationibus intentus. Interea Anna uxor illius, exprobrata pariter ſibi per famulam ſuam Juditham ſterilitate, in hortum ſe recepit; cumque avium nidum cum pullis vidiſſet, majori lacrymarum vi ſortem ſuam deflens, orabat Dominum ne ſibi denegaret quod brutis conceſſiſſet. Tunc Angelus feminæ, Deum ejus preces admiſiſſe, nuntiavit, eodemque momento Angelus alter eadem Joachimo retulit. Cum Joachimus domum remigraſſet, Anna concepit, ac filiam enixa eſt, quam Mariam appellavit. Tribus poſt annis in Templo eam parentes Deo obtulere, ubi ad duodecim uſque annorum ætatem Angelo miniſtrante fuit enutrita. Hæc ibi, ſive hiſtoria, ſive fabella, cum aliis multis legitur. Ex eo tempore nil nobis de Joachimo & Anna innoteſcit. Cedrenus tamen refert, B. Virginem duodecimo ætatis ſuæ anno

*Singularis de SS. Joachimo & Anna hiſtoria.*

parentes amiſiſſe (*a*). Quo loco ſepulcrum habuerint, certo definiri non poteſt, quamquam tumuli quidam Joachimi & Annæ Itinerantibus oſtendi conſueverint.

*An tribus viris Anna nupſerit?*

IV. Apud Joannem Gerſonem quædam legas carmina, quæ ita habent (*b*).

*Anna tribus nupſit, Joachim, Cleophæ, Salomaque,*
*Ex quibus viris peperit tres Anna Marias;*
*Quas duxere Joſeph, Alphæus, Zebedæuſque.*
*Prima Jeſum; Jacobum, Joſeph, cum Simone Judam*
*Altera dat; Jacobum dat tertia, datque Joannem.*

Si horum carminum fides valeret, dicendum eſſet, S. Annam primo nupſiſſe Joachimo, ex quo filiam habuerit Mariam, Salvatoris Matrem; poſtea cum Cleopha matrimonio copulatam, Mariam Cleophæ genuiſſe, Jacobi Minoris, Joſephi cognomento Juſti, Simonis Zelotis, & Judæ Thadæi matrem; e tertiis denique nuptiis cum Salome Mariam Zebedæi uxorem, Jacobi Majoris, & Joannis Evangeliſtæ parentem procreaſſe. Verum hæc idoneis argumentis carent; credimuſque, Annam uni tantum Joachimo nupſiſſe; quæ quidem ſententia magis quam altera decet feminam illam quæ in B. Virginis genitricem electa fuit. Illæ autem feminæ, quæ in Evangelio ſorores B. Virginis dicuntur, ſive ipſius cogna-

(*a*) Bolland. 19. Martii, Tillem. not. 2. in B. Virginem.

(*b*) Tom. 3.

gnatæ, ſive Annæ & Joachimi poſt ipſam B. Virginem natæ videntur.

V. S. Epiphanius ex Scripturarum ſilentio, ait, affirmare ſe non poſſe, an B. Virgo vitam abſolverit, vel potius immortalitatis prærogativa donata fuerit; demum quem illa exitum habuerit, definire poſſe neminem; addit tamen, credere ſe illam felici beatoque fine quieviſſe (*a*). Quidam ulterius progreſſi mortem illius aperte negarunt, rati, privilegium Henocho & Eliæ conceſſum, Mariæ negatum non fuiſſe (*b*). At ceteri omnes, qui de hoc argumento ſcripſere, Gregorium Magnum (*c*), Joan. Damaſcenum (*d*), & Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum (*e*) ſecuti, Mariam obiiſſe, tenent. *Maria revera obiit.*

VI. De loco mortis ambigitur. S. Joannem Evangeliſtam, poſt Chriſti obitum, B. Mariam ex illius præcepto, *Ecce mater tua* (*f*), loco Parentis coluiſſe, enutriiſſe, & domi ſuæ habuiſſe, dum in Palæſtina moraretur, nulli dubitamus. Epheſum etiam una ſecum illam duxiſſe, communis eſt ſententia, quamquam aliter viſum fuerit S. Epiphanio (*g*). Dubitari autem poteſt, an B. Virgo Epheſi ſemper manſerit; vel potius Joannes ipſam Hieroſolymam reduxerit, cum eo occaſione Concilii, *Obieritne Epheſi, an Hieroſolymæ?*

O 4

(*a*) Hæreſ. 78.
(*b*) Vide Franciſc. Mariæ Maced. t. 1. de Clavib. Petri l. 4. p. 2. de Peccat. Orig. ſect. 3.
(*c*) Sacrament.
(*d*) Homil. de Dormit.
(*e*) De Obdormit. Virginis.
(*f*) Joan. XIX. 27.
(*g*) Hæreſ. 78.

cilii, in cauſa Legalium celebrati, regreſſus eſt (*a*). Geminæ ſane obtinent traditiones. Altera tenet, Mariam Epheſi obiiſſe, ejuſque ſepulcrum manſiſſe adhuc ibi anno 431. cum Epheſinum Concilium celebratum eſt. In illius enim Epiſtola ſynodica habetur, Neſtorium fuiſſe damnatum in Epheſiorum urbe, *in qua Joannes Theologus, & Deipara Virgo Sancta Maria*, nimirum *ſunt*, quod ad elegantiam ſermonis omiſſum fuiſſe dicunt. Cum ergo nec Joannes, nec Maria eſſent tunc Epheſi viventes, indicare voluit Synodus, ibi fuiſſe tumulatos. Quod ſi de Joanne id omnes conſentiunt, cur non idem de Maria credatur? Adverſarii tamen dicunt, non ſupplendum eſſe verbo *ſunt*, ſed *aliquando habitarunt*, vel *ſacras ædes habent*, aut *magno ſunt in honore*. Nam, addunt, S. Cæleſtinus Papa, qui Epheſinis Patribus in memoriam revocat, Reliquias S. Joannis eos habere præſentes, de Virginis ſepulcro nihil omnino dicit, dicturus ſane, ſi & illud præſens habuiſſent. Polycrates etiam antiquiſſimus Epheſiorum Epiſcopus de ſepulcro B. Virginis ſilet, quamvis de magnis Eccleſiæ luminibus, quæ in Aſia extincta ſunt, verba faciat. Altera igitur traditio fert Mariam Hieroſolymæ mortuam eſſe. Juvenalis, enim illius urbis Epiſcopus, qui cum inter Patres illi Concilio adfuiſset, geſta ibi omnia non ignorabat, ſcripſit ad Pulcheriam Auguſtam, & ad Marcianum Imperatorem, e Reliquiis B. Mariæ aliquid poſtulantes, mon-

(*a*) Gal. II. 9.

monſtrari quidem ejus ſepulcrum in Gethſemani, non longe a Hieruſalem, ſed nihil ibi recondi præter linteamina, ex quibus mirus efflabatur odor. Hæc cum illi intellexiſsent, curarunt, ut ſepulcrum una cum linteaminibus Conſtantinopolim afferretur & in novo Templo, S. Mariæ in Blachernis nuncupato, collocaretur. Fertur in marmore ejuſdem ſepulcri ſimulacrum ejuſdem Virginis, non humanis illud manibus, expreſsum fuiſse. Narrationem hanc primus omnium refert S. Joannes Damaſcenus, quem ſecuti ſunt Andreas Cretenſis, & Nicephorus Callixtus (*a*). Sed cum Damaſcenus aſserat ſimul, ſe illam deſumpſiſse ex hiſtoria Euthymiaca, quæ Eruditis ſubleſtæ fidei videtur, ideo traditio hæc minus probatur. Deinde, eſto Juvenalis ea Auguſtis reſponderit, cum ipſe tamen vir lubricæ fidei fuerit, indubium conſenſum minime extorquet. Quo etiam ſpectat S. Hieronymi de B. Mariæ tumulo ſilentium, qui tamen ſacra Palæſtinæ loca diligenter deſcripſit. Verum ut ut res ſe habuerit, ab ea ætate, ſcilicet ab anno circiter 455. nequaquam ceſsatum eſt monſtrari ſepulcrum B. Virginis Hieroſolymæ, in Baſilica S. Helenæ juſsu conſtructa (*b*). Narrant Itineraria, videri adhuc ſupra terram parum aſsurgens ſepulcrum illud in Valle Joſaphat, qua fluit Cedron, ex aver-

ſa

(*a*) Damaſc. hom. 2. de Dormit. Mariæ. Andr. Cret. hom. 9. Niceph. l. 2. c. 32. & l. 15. c. 14.

(*b*) Adamnanus de Locis SS. Hieroſolym. c. 9. Beda de Locis SS. c. 3.

ſa torrentis ripa, contra hortum Gethſemani, & Olivarum montem; addunt, deducere in tumulum ſcalam 50. graduum; eo autem venientibus offerri parvam cellulam, ſeu cryptam, ubi ceu Aræ cuidam lapideæ quidam ſarcophagus impoſitus eſt. Si Mariæ Virginis ſepulcrum vere Conſtantinopolim tranſlatum fuit, loco illius hic ſarcophagus ſuppoſitus crederetur. Ex dictis, & ex infra dicendis, conſtat, traditionem pro Hieroſolyma pluribus comprobari.

*Quo ætatis anno obierit?*

VII. De anno quo B. Virgo deceſſit, res eſt magis ambigua. Alii enim ei dant annos 48. alii 57. alii 58. 59. 62. 63. 72. Et quidem poſtremum hunc numerum tenere opus eſſet, ſi conſtaret, Dionyſium Areopagitam illius funeri adfuiſſe (*a*). Ad mortis genus quod ſpectat, amoris potius æſtu, quam vi morbi conſumptam credimus.

*Utrum Apoſtoli funeri Mariæ adfuerint?*

VIII. Ferunt, Apoſtolos, in varias Orbis regiones evangelicæ prædicationis gratia diſperſos, Hieroſolymæ omnes una cum Dionyſio Areopagita adfuiſſe, ut obituræ Virgini ſuprema perſolverent officia; Mariam Chriſto ſibi viſibiliter apparenti Fideles omnes commendaſſe, in illiuſque manus ſpiritum ſuum depoſuiſſe; defunctum corpus ſolemni pompa ad Gethſemani vallem delatum, ibique ſepultum; inde per triduum cæleſtium ſpirituum concentum auditum, & innumera miracula patrata; eo ſpatio evoluto, cum S. Thomas, qui morienti Virgini non adfuerat, ſuperveniſſet, defunctæque corpus videndi deſide-

(*a*) Vide Gotti de vera Relig. t. 4. p. 2. c. 40. §. 3.

ſiderio teneretur, ſepulcrum recluſum fuiſſe; verum præter expectationem, Virginis exuvias non apparuiſſe; eoque indicio ſublatas illas in Cælum, atque glorioſæ Virginis animæ redditas, Apoſtolos crediſiſſe (*a*). Hæc ex Dionyſio Areopagita narrat S. Joannes Damaſcenus. Cum vero Opera quæ ſub Dionyſii Areopagitæ nomine circumferuntur, ſuppoſita ab Eraſmo, Dallæo, Blondello, Cave, Launojo, Morino, aliiſque credantur, traditiones quoque illæ nonnullis dubiæ videntur (*b*). Sed illud veriſimillimum eſt, Jeſum Chriſtum ſcilicet Matris ſuæ tranſitum ſua præſentia, pluribuſque prodigiis celebrare voluiſſe. Certum etiam reputari debet, ſacratiſſimum Deiparæ Corpus ſummo honore a Fidelibus elatum fuiſſe. Quantum ad Apoſtolorum præſentiam, duplex fertur opinio. Putaverunt aliqui, Apoſtolos per varias Mundi plagas diſperſos, eodem fere momento per aera in ſublime elatos Hieroſolymam adventaſſe. Æquius alii cenſent, divina Providentia ita diſpoſitum fuiſſe ut Virginis mors tunc contigeret, cum Apoſtoli, aliique præcipui Eccleſiarum Præſides Hieroſolymæ adeſſent. Eo ſane ſe contulit Paulus circa annum Chriſti 57. (*c*). Inter impoſſibilia minime cenſeretur, Dionyſium, jam inde ab anno 52. ad Fidem converſum (*d*), tunc ſe comitem illi dediſſe; qui proinde anno inſe-

(*a*) Damaſc. hom. 2 l. 15. c. 9. n. 7. de Dormit. Mariæ, lib. de Divin. Nominib. c. 3.

(*b*) Vide hanc Hiſtor.

(*c*) Act. XXI.

(*d*) Act. XVII. 34.

ſequente 58. quem Virginis morti plures adſcribunt, illius funeri adeſſe potuit. Scimus etiam ex Euſebio, Apoſtolos & Diſcipulos Hieroſolymam conveniſſe omnes, ut S. Jacobo Urbis illius Epiſcopo ſucceſſorem darent (*a*); quod anno Chriſti 62. vel 63. contigit.

*Aſſumptio B. Virginis aſſeritur.* IX. Sed quamvis de aliqua mortis Mariæ circumſtantia dubitare liceret, de illius tamen in Cælum Aſſumptione certi eſſe debemus. Non equidem negamus, priorum ſæculorum Patres hanc ſilentio præteriiſſe; & ſi quid inter illorum Opera de Virginis Aſſumptione legatur, a genuinis eorum fetibus ad ſpuria amandanda eſſe, ut ſermones Athanaſii, Hieronymi, & Auguſtini de illa tractantes. Verum Patres & Doctores mediæ ac poſterioris ætatis, Virginis Aſſumptionem adeo concordes propoſuere, ut ſucceſſu temporis traditio utriuſque Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ facta ſit. Plane autem decebat ut Dei Mater, quæ nec in concipiendo, nec in pariendo ullam paſſa fuerat corruptionem, illi nec poſt obitum ſubjiceretur. Eodem etiam ſpectat quod nihil ex illius oſſibus, aut cineribus ullibi reperiatur. Feſtum Aſſumptionis Gregorius Turonenſis facile primus ex Latinis ſexto cadente ſæculo in Gallias invexit, ſequenti vero ſæculo idem apud Græcos Andreas Cretenſis præſtitiſſe creditur. Docuit Abulenſis, piam tantum eſſe & laudabilem de Virginis Aſſumptione ſententiam, ſeu opinionem, cui liberum ſit aſſentire, vel diſſentire. Catharinus ad fidem ſpe-

(*a*) Hiſt. l. 3. c. 11.

ſpectare cenſuit. Canus, & Gotti tutiſſimi incedunt, temerariæ præſumptionis notam illi inurentes qui de illa dubitaret (*a*). Ad tempus quod attinet Reſurrectionis corporis B. Mariæ, quidam malunt 40. dies poſt mortem; alii, quindecim; nonnulli, unum; ceteri, tres. Porro poſterior hæc ſententia ſolidiori traditioni innititur, æquiparatque Matrem Filio, qui die pariter tertia reſurrexit. Quid Mariæ anima hoc tridui intervallo præſtiterit, quærunt nonnulli. Et alii putant, eam in ſepulcro, ceu corporis cuſtodem, adſtitiſſe; alii, in Monte Olivarum, alii, in Paradiſo terreſtri, alii in Purgatorio, liberandis, ſolandiſque piorum animabus intenta; alii denique, quibuſcum & nos ſentimus, in cælo, unde poſt illud ſpatium aſſumendo corpori ad ſepulcrum deſcenderit.

X. Nicephorus Mariæ formam deſcribens, ait, ipſam ſupra mediocrem ſtaturam erectam fuiſse, ore ad tritici colorem accedente, flava coma, oculis vividis, itemque flaveſcentibus inſtar olivæ, quos nigro ambiebant ſemicirculo ſupercilia, naſo obducto, rubicundis labiis, manibus, ac digitis oblongis, toto denique corporis habitu ad ingenuam gravitatem compoſito, cui laneæ veſtes, ſimplices illæ, nulloque adſcititio colore fucatæ, modeſtiæ laudem cumulabant (*b*). Dum hæc Nicephorus ſcriberet, facile aliquam ipſius Mariæ iconem habebat præſentem. *Mariæ forma.*

XI.

(*a*) Gotti ubi ſupra, (*b*) Niceph. l.2. c. 23. c. 41. §. 2.

*Imagines a S. Luca depictæ.* XI. Multis in locis B. Virginis imagines ceu a S. Luca depictas, vel ſaltem uti ex illius exemplaribus deprompꝉas, oſtendunt Fideles. Pictorem fuiſſe S. Lucam, nedum idem Nicephorus ſæculi decimi quarti ſcriptor teſtatur (*a*), ſed & Theodorus, qui ſexto ſæculo floruit; narrat enim miſsam Hieroſolymis ab Eudoxia ad Pulcheriam Imperatricem Imaginem B. Virginis a S. Luca depictam (*b*). Et in Baſilii Menologio legitur: *Lucas profeſſione Medicus & Pictor* (*c*).

*Epiſtolæ B. Virginis nomine vulgatæ.* XII. Epiſtolæ tandem nonnullæ Virginis ad S. Ignatium Martyrem, & viciſſim, circumferuntur, teſtimonio S. Bernardi olim probatæ, nunc vero ab omnibus rejectæ. Legi etiam poſsunt qui de Epiſtolis nomine B. Virginis ad Meſsanenſes, & Florentinos datis, judicium ferunt.

*Mira*

(*a*) Idem l. 2. c. 43. p. 551. edit. Valeſ.
(*b*) Theodor. Lect. l. 1. (*c*) Die 18. Octob.

*Mira Fidei per univerſum Mundum propagatio. Variis criminibus Chriſtiani inſimulantur. Scriptores de Apoſtolis ut plurimum ſilent. Res a S. Andrea geſtæ, ejuſque Martyrium. Quid ſentiendum de illius Actis? SS. Jacobus & Joannes fratres Dominum ſequuntur. S. Jacobi Prædicatio, & Martyrium. S. Joannis caritas, itinera, prædicatio, acta, exilium, obitus.*

## C A P. IV.

I. NIl mirabilius Chriſtianæ Religionis ab Apoſtolis per totum Terrarum Orbem brevi annorum ſpatio propagatione; quæ ſane maximum pro ejus veritate argumentum miniſtrat, eamque unice a Deo eſſe, evidenter demonſtrat. An opus humanum erit, quod homines antea rudes adeo & imperiti, ut ne Magiſtri quidem doctrinam aſſequerentur, repente poſt Spiritus ſancti illapſum ita docti evaſerint, ut Mundi Sapientes confunderent? antea adeo imbecilles, ut Magiſtro capto unus aperte ipſum ejuravit, ceteri fugerint omnes, illico tanta virtute roborati ſint, ut coram prodeuntes, Chriſtum populis, Magiſtratibus, Regibus palam annuntiarent, minis, carceribus, tormentis, ipſaque denique morte minime detenti? An ipſis extinctis, extincta quoque fuit Religio ab eis prædicata? Imo magis viguit, licet Principes omnem moverint lapidem, ut eam ſubruerent. Plura enim Chriſtia-

*Mira Mũdi per Apoſtolos converſio.*

*Crimina Chriſtianis affiicta.*

ſtianis affiſta erant crimina, agentibus potiſſimum Judæis. Primo enim traducebantur, quod eſſent Athei, nullius ſcilicet Numinis cultores. II. quod eſſent Polythei, quaſi Trinitatem Perſonarum in Deo admittentes, plures Deos colerent. III. quod caput Aſini adorarent (*a*). IV. Quod humanam libertatem everterent, actiones humanas Deo ſubmittentes, ſicut alii eas ſubmittebant Fato. V. quod nihil agentes, vitæ humanæ eſſent inutiles. VI. quod rei leſæ humanæ Majeſtatis eſſent, Regnum cæleſte invehentes. VII. quod tertiam hominum ſpeciem, qui nec Judæi eſſent, nec Romani, conſtituerent. VIII. quod in ſuis myſteriis carnem infantis ederent, fædiſque congreſſibus invicem commiſcerentur. Hæc ex menſa euchariſtica, & ex mutua, quæ viget inter Chriſtianos, caritate, celebratiſque ſecreto, & nocturno tempore, Myſteriis, comminiſcebantur. IX. quod prodigia Dæmonum artibus ederent. X. quod indocti, & viliſſima capita, rudem tantum populum ad ſe traherent, vanis implendum terroribus (*b*). His maxima in Chriſtianos creabatur invidia, excitabaturque Principum furor. Si obvia, & creditu facilia, noſtra Religio proponeret, ſi latrocinia, ſi ultiones, ſi libidines inſinuaret, Idololatræ, & Mahumetani ſuæ ſuperſtitionis amplitudinem efferre poſſent. At Evangelium nedum id docet credendum quod hominum captum ſuperat, ſed & id prohibet quod ipſo-

rum

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 3. c. 8. n. 13.

(*b*) Juſtin. Tertull. Origen. Minuc. Felix.

rum cupiditati maxime adverſatur, ut noſtra Religio Gentilibus quædam videretur inſania (*a*). Revera quid dementius eſt humanæ ſapientiæ, quam ſalutis ſuæ ſpem in eo collocare, qui nequitiæ & odio adverſariorum ſuccumbens, Crucis ſupplicio ſublatus eſt? Quid ſtultius, quam Religionem amplecti, credere cogentem res quas animo non aſſequare? Spondentem bona inviſibilia, nonniſi poſt mortem obtinenda? Suadentem pro hac vita labores, ærumnas, humiliationes, carnis appetituſque ac voluntatis mortificationem? Adhuc tamen Apoſtolis viventibus Religio hæc non ſine ingenti fructu *prædicata fuit in univerſa Terra, quæ ſub Cælo eſt* (*b*).

*Pauca de Apoſtolis ſcimus.*

II. Optandum autem maxime eſſet, ut labores, & miracula, arteſque divinas, quibus Apoſtoli convertendo ad Fidem Mundo uſi ſunt, aliquis deſcripſiſſet. Verum de ea re, ſi hiſtoriam, quæ Petrum & Paulum ſpectat, excipias, adeo veteres, qui ſuperſunt, Scriptores ſiluerunt, ut nonniſi pauca, & ipſa plerumque non ſatis aſſerta, referre poſſimus. Sed Apoſtoli, & viri apoſtolici eſt, inquit, Chyſoſtomus, pauca ſcribere & multa moliri (*c*). Incipiendum ab Andrea, qui omnium primus Chiſto adhæſit.

*Res ab Andrea geſtæ.*

III. Oriundus erat Bethſaidæ & frater Petri Apoſtolorum Principis (*d*). Cum quadam die audiſſet Joannem Baptiſtam, quem frequenter adibat, de Jeſu Chriſto dicentem,



(*a*) 1. Cor. 1. 18.
(*b*) Coloſſ. 1. 6. 23.
(*c*) Hom. 1. in Acta.
(*d*) Joan. 1. 35.

*Ecce Agnus Dei*, horum verborum myſterium divinitus edoctus, ipſe una cum alio ex Diſcipulis S. Joannis cujus nomen ignoratur, ad Jeſum acceſſit, eumque in domum ſuæ habitationis reducem ſequutus, uſque ad noctem ejus conſuetudine uſus eſt. Andreas deinde Petrum ad Jeſum adduxit; amboque fratres integra die cum Jeſu colloquuti ad propria redierunt. Elapſo quodam temporis ſpatio, cum utroſque piſcantes offendiſset, ad ſe vocavit, qui deinceps numquam ab eo diſceſſere (*a*). Quærente Chriſto, qui paſceere poſſet quinque hominum millia, qui ſe in deſertum ſequuti fuerant, indicavit Andreas puerum, quinque panes & duos piſciculos habentem. Idem quorumdam Gentilium vota, Chriſtum videre cupientium, una cum Philippo, a quo id didicerat, Magiſtro expoſuit (*b*). Tandem Andreas unus fuit ex illis Diſcipulis, qui Jeſum interrogarunt de tempore, quo Templum evertendum erat (*c*). De hoc Apoſtolo nihil ultra ex Evangelio novimus.

*Provinciæ, quibus Andreas prædicavit.*

IV. Facta inter Apoſtolos totius Orbis diſtributione, quo quiſque Evangelium deferret, Andreæ contigiſſe Scythiam aliqui ſentiunt. Prædicationem prorogaſſe ad Sogdianos, ad Saccos, ad Ethiopes, alii addunt. Nonnulli Bithyniam, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Epirum, Græciam, Thraciam commemorant. Sunt etiam, qui eum Argos, Synopem, Sebaſtopolim veniſſe tradant. Byzantinam,

(*a*) Matth. IV. 19. (*b*) Joan. VI. 9. XII. 22. (*c*) Marc. XIII. 3.

nam, ſive Conſtantinopolitam Eccleſiam fundaſse, Græci recentiores affirmant. Antiqui tamen, qui Sedem illius Urbis extollere adeo conati ſunt, de hac prærogativa nihil unquam muſſitarunt (*a*).

*S. Andreæ Martyrii.* V. Prædicationem ſuam Patris in Achaja Andreas martyrio coronaſſe creditur. Genus ſupplicii Crux fuit, licet arbori affixum velint S. Petrus Chryſologus, & Pſeudo-Hippolytus, ut duobus ramis arboris brachia Apoſtoli alligarentur, & reliquum corporis a trunco arboris penderet. Hoc ſi admittamus, Crux illius formam literæ Y referebat; ex quo forte Pictores S. Andreæ Crucem ſub figura X pingendi morem ſumpſere. Ferunt, Maſſiliæ aſſervari hujus Apoſtoli Crucem, quæ nihil a reliquis ſit diverſa. Tam Martyrologia Latina, quam Mænologia Græca mortem S. Andreæ die 30. Novembris conſignant. Sed de anno, quo illa contigerit, ambigitur, aliis ſub Nerone, aliis ſub Domitiano ipſum obiiſſe autumantibus. Corpus Apoſtoli tamdiu Patris manſit, donec Conſtantinopolim transferretur, curante Conſtantino Magno, vel Conſtantio illius filio. Conſtantinopoli deinde Amalphim ſacra lypſana translata fuiſſe a Cardinali Petro de Capua anno 1210. a compluribus traditum eſt. Caput tandem S. Andreæ Pius II. in Templo Vaticano collocavit.

*Quid de Actis Paſſionis S. Andreæ ſentiendum?* VI. Quod ſpectat Acta Paſſionis S. Andreæ, quorum titulus præfert, ea fuiſſe ſcripta a Presbyteris, & Diaconibus Achajæ, an-

P 2 ceps

(*a*) Vide Gotti de V. R. t. 5. c. 2.

ceps eſt ſententia. Illa enim rejiciunt Heterodoxi, quod realem præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia luculentiſſime hiſce verbis oſtendant. *Ego*, ait Andreas ad Ægeam, *Omnipotenti Deo, qui unus & verus eſt, immolo quotidie, non taurorum carnes, aut hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in Altari, cujus carnem poſtquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui ſacrificatur, integer perſeverat, ac vivus*. Quidam etiam ex Catholicis Opus illud inter ſuppoſita, vel ſaltem inter dubia amandant, quod ante octavum ſæculum nulla de eo extet memoria. Quibus reponimus, argumentum hoc eſſe mere negativum, quod quanti faciendum ſit, neminem fugit. Forte inter perſecutiones Acta illa latitabant. Patres vero, quibus primo innotuere, illis minime uſi fuiſſent contra Elipandi errores, niſi ipſorum veritas certo conſtaſſet (*a*). Tandem Acta S. Andreæ ab Hæreticis conficta, & ab Antiquis inter Apocrypha rejecta, argumento eſſe poſſunt, vera & genuina illius Apoſtoli Acta extitiſſe: nam mendacium ſolet eſſe veritatis imitamentum. Quando autem reſponſiones noſtræ minus probarentur, nequaquam idcirco Heterodoxis manus victas daremus, cum dogma de Euchariſtia non eo tantum monumento, ſed divina Scriptura, & perpetua Eccleſiæ traditione comprobetur.

*Salomes S. Jacobi Majoris mater.*

VII. Jacobus, cognomento Major, fratrem habuit S. Joannem Evangeliſtam, & parentes Ze-

(*a*) Vide Natalem & Gotti.

Zebedæum, & Salomem, patriam vero Bethſaidam in Galilæa. De Zebedæo nil ſingulare traditum eſt. Salomi nonnulli addunt nomen Maria, tres Marias diſtinguentes, Mariam Matrem Jeſu, Mariam matrem Jacobi, & hanc, de qua agimus, Mariam Salomem; quibus jungi poteſt & quarta, ſcilicet Maria Magdalena. Si quoſdam audiremus, Salomes S. Joſephi ex priori conjuge filia crederetur. Jeſum Chriſtum in ſuis itineribus una cum ceteris feminis miniſtratura ſequebatur, eumque nec in paſſione, nec in Cruce, nec in ſepulcro deſeruit, quem etiam aromatibus condire parata erat. Quare digna facta eſt, ut ipſum poſt Reſurrectionem videret, & adoraret. Corpus illius Verulis aſſervari dicitur, non illuc translatum, ſed ibi defunctum (*a*).

*S. Jacobus una cum Joanne Chriſto adhæret.*

VIII. Jacobus, & Joannes erant piſcatores, licet S. Hieronymo nobiles genere viſi fuerint, qui piſcatoriam per alios exercerent. Hanc autem nobilitatem exinde S. Doctor deducit, quod S. Joannes *notus eſſet Pontifici* (*b*). Verum notitiam illam non minus ſervitus, quam nobilitas parere poterat. Artem ſuam tunc penitus abjecerunt, cum illos ſarciendis retibus in cymba intentos Chriſtus accivit. Ambo, prece matris adhibita, primas ſedes a Chriſto poſtularunt, ambo Chriſtum transfiguratum viderunt, ambo ſuper Samaritanos ignem e Cælo, ſi per Chriſtum licuiſſet, de-



(*a*) Neſchiazoli, Got-ti, de Jacobi Minori §. 2.

(*b*) Epiſt. 16. modo 96. ad Principiam. Joan. XVIII. 15.

duxiſſent, ambo præcipuis Chriſti actis teſtes adfuerunt.

*S. Jacobi prædicatio & Martyrium.*

IX. S. Jacobum Evangelium annuntiaſſe duodecim Tribubus Iſraelis per Mundum diſperſis, tradunt nonnulli. Martyrium ipſius alii anno Chriſti 44. alii 42. conſignant. Ab Herode Agrippa circa Feſtum Paſchatis gladio peremptus eſt (*a*). SS. Jacobum & Joannem Virginitatis florem illibatum ſervaſſe, crinos intonſos geſtaſſe, a balneis, carnibus, & piſcibus abſtinuiſſe, auctor eſt S. Epiphanius (*b*). De Hiſpanico S. Jacobi itinere alibi egimus (*c*).

*Chriſtus ſingulari amore Joannē proſequitur.*

X. Joannes Evangeliſta Jacobi frater, omnibus Apoſtolis junior, 25. vel 26. annos agens, Chriſtum ſequutus creditur. Præcipuo eum Dominus proſequebatur amore, vel ob illius modeſtiam, & humilitatem, ut cenſet Cryſoſtomus (*d*), vel ob intemeratam Virginitatem, ut fert communis opinio. Cujus utique ſingularis amoris argumenta ipſi præbuit Jeſus, cum ſuper pectus ſuum in ultima cœna recumbenti, ſui proditorem aperuit, cumque in Cruce Matris ſuæ Filium, Matremque ſuam ejus Matrem conſtituit. De eo etiam Petro dixit: *Sic eum volo manere, donec veniam*. Quæ verba licet Interpretibus crucem figant, in Joannis tamen maximum honorem cedunt (*e*). Ipſe viciſſim captum Dominum minime deſe-

(*a*) Act. XII. 1.
(*b*) Hær. 58. c. 4.
(*c*) Vide hanc Hiſtor. l. 14. l. 15. c. 7. n. 1.
(*d*) Hom. 33. in Joan.
(*e*) Vide hanc Hiſtor.

ſeruit, ſed ei in Cruce patienti conſtanter adhæſit. Ad ſepulcrum citius Petro cucurrit, primuſque omnium Diſcipulorum Jeſum, poſt reſurrectionem, in litore ſibi e regione conſtitutum agnovit, & Petro oſtendit. Poſt ſanatum claudum, cum Chriſtum prædicare non ceſſaret, una cum Petro carceri mancipatus fuit, flagriſque cæſus, ac tandem ad Samaritanos miſſus, quos Philippus baptizaverat, Spiritus ſancti dono confirmavit (*a*). Adſuit Concilio Hieroſolymitano, ubi Eccleſiæ columnæ nomen conſequutus eſt, non minus ac Petrus, & Jacobus Hieroſolymorum Epiſcopus (*b*). Refert Euſebius ex Clemente Alexandrino, Chriſtum Jacobo, Joanni, & Petro ſcientiæ donum contuliſſe; quod illi ceteris Apoſtolis, hi vero Diſcipulis tradiderunt (*c*). Sed hæc contraria videntur illapſui Spiritus ſancti, quo omnes qui erant in cœnaculo, repleti ſunt (*d*).

*S. Joannis itinera, & prædicatio.*

XI. Quid poſt Concilium illud egerit Joannes, & quo migraverit uſque ad Domitiani perſecutionem, ignoratur. Ad Parthos ſe contuliſſe putant nonnulli, ex quo ejus prior Epiſtola olim *ad Parthos* eſset inſcripta. Ad Indos etiam penetraſse, ex earum Gentium traditione accepimus. Illud certiſſimum eſt, Joannem ſcilicet in Aſiam Minorem veniſse, ibique, præſertim in Urbe Epheſi, diu manſiſse; id enim Polycrates illius urbis Epiſcopus



(*a*) Act. III. V. VIII.
(*b*) Galat. II. 9.
(*c*) Hiſt. l. 2. c. I.
(*d*) Act. II. 4.

pus apud Euſebium teſtatur (*a*). Ter ſaltem eo iter ſuſcepiſse, propius vero eſt (*b*); primo circa annum Chriſti 57. & tunc comitem habuit B. Virginem; deinde Nerone Chriſtianos perſequente; ultimo poſt Domitiani mortem, cum ab exilio ex Inſula Pathmos rediiſſet (*c*). S. Hieronymus, omnes Aſiæ Eccleſias ab Joanne erectas fuiſſe, eiſdemque ipſum præfuiſse, tradit (*d*). Hæc tamen aliqua interpretatione indigent; nam ſcitum eſt, SS. Petrum & Paulum plures in in Aſia fundaſse Eccleſias, nec dubitari poteſt, primum Epheſi Epiſcopum fuiſse Timotheum a Paulo conſtitutum. Dicendum igitur, Joannem multas ibi Eccleſias erexiſse, ac eas, quas jam fundatas invenit, verbo, ſcripto, exemplo firmaſse, potius ut Apoſtolum, quam ut Epiſcopum.

*Res a S. Joanne geſtæ.*

XII. S. Joannes, cum aliquando in Epheſino balneo Cerinthum vidiſſet, ſtatim exiliit illotus, dicens: fugiamus, ne balneum corruat, in quo eſt veritatis inimicus (*e*). Mortuum in eadem Urbe ad vitam revocavit (*f*). Quemdam Presbyterum, qui ſub nomine S. Pauli falſa quædam ejus itinera cum S. Thecla conſcripſerat, de falſitate convictum confeſſumque depoſuit (*g*). Auream laminam in fronte Joannem geſtaſſe, refert Polycrates apud Euſebium (*h*). Calice etiam præ manibus, ex

(*a*) Hiſt. l. 4. c. 4.
(*b*) Vide Gotti de S. Joanne §. 3.
(*c*) Phot. Cod. 254.
(*d*) De Script. Eccl. c. 9.
(*e*) Iren. l. 3. c. 3.
(*f*) Euſeb. l. 5. c. 18.
(*g*) Hieron. ibid.
(*h*) Hiſt. l. 5. c. 24.

ex quo ſerpens egreditur, a pictoribus exhibetur, quod nempe; cum Hæretici quidam venenum ei hauriendum obtuliſſent, crucis ſigno vaſe fracto, venenum ſerpentis imagine evanuerit; cujus rei mentio apud Prochorum, qui ſe Joannis Diſcipulum vocat. Idem etiam narrat, Templum Dianæ Epheſinæ Joannis oratione dejectum fuiſſe; quod tamen falſum eſt, nam Templum illud uſque ad Gallieni tempora ſubſtitiſſe ſcribit Julius Capitolinus (*a*). Celebris eſt Joannis caritas erga quemdam latronem, quem ad bonam frugem revocavit (*b*). Hunc cuidam Epiſcopo in timore Dei inſtruendum Apoſtolus tradiderat; ſed cuſtodis deſidia factum eſt ut ille tandem in latronum ducem evaderet. Cum præ ſenio gradi non poſſet, ad eum equo vectus ſe ſe contulit; qui ubi accedentem propius agnovit Joannem, pudore ſuffuſus in fugam ſe convertit. At Joannes ipſum concito curſu proſequebatur, clamans: Quid me patrem tuum fugis, fili, inermem & ſenem? Noli timere; adhuc ſupereſt tibi ſpes ſalutis. Ego pro te ſatisfaciam Chriſto. Ad quæ ille armis abjectis, ſenem complexus, veniam rogavit. Narrat Caſſianus ex quadam vulgi fama, Joannem interdum blandiendo perdici aliquod cepiſſe ſolamen (*c*).

XIII. Domitianus anno Imperii ſui decimo quarto vel decimo quinto, Chriſti vero 95. perſecutionem in Chriſtianos movit. Quid hujus

*Domitianus perſecutionem movet.*

(*a*) In Gallieno. c. 23.
(*b*) Euſeb. Hiſt. l. 3. (*c*) Collat. 24. c. 21.

jus rei in cauſa fuerit, neſcimus. Narrat tamen Hegeſippus, Imperatorem illum, cum audiiſſet, jus Sceptri Judææ poſteris Davidis aſſertum eſſe, vano terrore, inſtar Herodis, perculſum, omni Chriſti agnatos ex proſapia illius Regis oriundos ſumma cum ſollicitudine conquiri juſſiſſe; quorum aliqui Romam adducti, & ab ipſo interrogati, quodnam eſſet Chriſti Regnum, reſponderunt, Regnum illius non eſſe hujus Mundi, ſed cæleſte plane & angelicum. Quibus auditis, ſimulque agnoſcens, illos pauperes eſſe, & infimæ ſortis, furorem ſuum depoſuit, & viliſſima capita dimiſit. Hæc Hegeſippus, quæ tamen a nonnullis in dubium revocantur.

*Martyriũ & exiliũ S. Joannis.* XIV. Fervente Domitiani perſecutione, Joannes Epheſo proſcriptus eſt, ac Romam ductus, ibique in ardentis olei dolium immiſſus, incolumis evaſit (a); cujus prodigii perennandæ memoriæ in Urbe ante Portam Latinam excitata eſt Eccleſia. Hinc Joannes Martyr ab omnibus habetur, nam licet paſſio ipſi defuerit, paſſioni tamen ipſe non defuit. Tunc Apoſtolus in Pathmos, facile ad metalla damnatus, juſſu Imperatoris exulavit. Pathmos eſt inſula Maris Ægæi inter Sporades, quæ nulla majori gloria fulget, quam quod Apoſtolum exceperit, unde in ea adhuc oſtenditur antrum, ubi a Joanne ſcripta Apocalypſis fertur. Vix duobus annis ibi moratus eſt Joannes. Cum enim Domitianus anno 96. menſe Septembri occiſus fuiſſet, ejuſque Acta a Senatu

natu

(a) Tertullian. l. de præſcript. c. 36.

natu reſciſſa, Nerva in Imperio ſucceſſor Apoſtolum ceteroſque exules liberavit (*a*). Revocatus igitur Joannes Epheſum rediit, ibique ad finem uſque vitæ permanſit. Interdum tamen in vicinas provincias excurrebat, ut conſecraret Epiſcopos, atque etiam ut vel unum hominem, ſibi a Spiritu ſancto indicatum, inter Clericos adlegeret.

XV. Extremo ſenio confectus, ad Fidelium conventus a ſuis Diſcipulis deferebatur, cumque voce etiam deficeret, ſæpe ſæpius illud tantummodo populos admonebat: *Filioli, diligite alterutrum* (*b*). Illis autem ejuſdem ſermonis tædio affectis, querentibuſque: *Præceptum*, inquit, *Domini eſt*, & *ſi ſolum fiat, ſufficit*. Feliciſſimo tandem obitu defecit, anno Trajani tertio, juxta Euſebium (*c*), qui Chriſti eſt 101. cum teſte Epiphanio annum ageret 94. (*d*). Alii tamen ei tribuunt annos 98. alii 104. alii 106. alii 120. S. Auguſtinus, & alii poſt ipſum, cujuſdam pulveris meminerunt, qui e S. Joannis tumulo effluens, ea menſura, qua inde aſportatur, extemplo in dies renaſcitur (*e*). Id autem quod addebant, pulverem ſcilicet illum *flatu quieſcentis impelli*, opinionis illius erat appendix, quæ docebat, Joannem non defunctum, ſed defuncto ſimilem in ſepulcro cubuiſſe. Sed eorum, qui Joannem minime obiiſſe tuentur, ſententias hic præterimus.

*S.Joannis obitus.*

*S. Joan-*

(*a*) De Script.Eccl.c.9.
(*b*) Hieron.in Galat.6.
(*c*) In Chron.
(*d*) Hæreſ. 51.
(*e*) Auguſt. tract. 124. in Joan.

*S. Joannis Evangeliſtæ ſcripta. Prima illius Epiſtola. Errores a Joanne impugnati. Veritas de tribus Teſtibus aſſeritur. Quæ a Patribus de Antichriſto aſſeruntur. Secunda & tertia Joannis Epiſtolæ. Apocalypſis Scriptor, auctoritas, & epocha. Varia Interpretum ſiſtemata. Calmeti meditamenta de Romani Imperii caſu. Animabus plene purgatis Dei viſio non differtur. Opinio Millenariorum confutata.*

## CAP. V.

*S. Joannis Evangeliſtæ ſcripta.*

I. S. Joannes Evangeliſta Evangelium, tres Epiſtolas & Apocalypſim, ſive Revelationem, ſcripſit. Quædam apocrypha illi tributa fuere, ſcilicet *Itinerarium Joannis; Acta*, quibus Encratitæ, Manichæi, & Priſcillianiſtæ utebantur; *Liber de Morte & Aſſumptione B. Virginis*; & quædam *Liturgia* apud Æthiopes nota. Extat etiam quoddam Symbolum, Trinitatis myſterium, & Verbi generationem exponens, quo a B. Virgine, & a S. Joanne S. Gregorium Neocæſarienſem per quietem donatum volunt (*a*). De Evangelio S. Joannis alibi egimus. Nunc de Epiſtolis, & Apocalypſi.

*Prima Joannis Epiſtola.*

II. Prima Joannis Epiſtola canonicam ſemper in Eccleſia auctoritatem obtinuit, ſemperque eidem Apoſtolo adſcripta fuit, licet illius nomen nullibi præferat. Ipſe tamen ubique proditur ſtilo, ſtructura, ſententiis, & potiſſimum cari-

(*a*) Gotti de S. Joanne Evang. §. 8.

caritate, qua Joannes affluens per totam Epiſtolam redundat. Unde, & quando ſcripta ſit, ignotum. Epheſi tamen data creditur, ubi Apoſtolus longam traxit moram. Non abs re crederemus pariter, exaratam fuiſſe ante Hieroſolymæ excidium, cui forte alludit illis verbis: *Filioli, noviſſima hora eſt* (*a*). Nonnulli ex Antiquis *Epiſtolam ad Parthos* appellant (*b*). Quo nomine deſignati cenſerentur Fideles ex Judæis, qui non Romanis, ſed Parthis parebant.

III. Adverſus Simonis, Cerinthi, & Gnoſticorum doctrinam pugnat Joannes. Jeſum eſſe Meſſiam, ſive Chriſtum, negabat Simon, ſibique tanti muneris gloriam aſſerebat, addens ſimul, ſolam hominis figuram, non ſubſtantiam, a ſe aſſumptam, proindeque ſpecietenus dumtaxat crucifixum. Gnoſtici pariter & Docetæ tradebant, Jeſum nonniſi per ſpeciem natum eſſe, mortemque obiiſſe. Jeſum a Chriſto diſtinguebat Cerinthus. Jeſus, ajebat, merus homo fuit, communi modo ex Joſepho & Maria procreatus, cui per Joannem baptizato Chriſtus, nempe Spiritus ſanctus, ſe ſe addidit columbæ ſpecie; eumque deinde in paſſione deſeruit, ac ſolum inter cruciatus reliquit. Hi autem omnes Jeſu Divinitatem negabant. Quos errores, primitivorum hæreticorum ætate vulgatiſſimos, Joannes multis confutat, præſertim ubi ſcribit: *Omnis ſpiritus qui confitetur, Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex* Deo *Errores a Joanne impugnati.*

(*a*) 1. Joan. II. 18 (*b*) Aug. Quæſt. Evang. l. 2. c. 30. Grot. Hamm.

*Deo eſt* : *& omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum*, *ex Deo non eſt* (*a*). Rejicit etiam illorum errorem, qui bona opera ad ſalutem neceſſaria negabant. Dei erga nos, noſtrum erga proximos amorem plurimum commendat. Fideles denique, ut fidem, patientiam, innocentiam colant, hortatur.

*Veritas de tribus Teſtibus aſſeritur.*

IV. Occurrit in eadem Epiſtola celeberrimus ille textus : *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt ; & tres ſunt, qui teſtimonium dant in Terra, Spiritus, Aqua & Sanguis, & his tres unum ſunt* (*b*). Primam hujus textus partem, nempe teſtimonium de Cælo, Eraſmus, Simonius, aliique, aſſutum eſſe, contendunt, non autographum, duplici de cauſa; primo ſcilicet quod in antiquis Codicibus non reperiatur; deinde quod eo uſi non ſint Auguſtinus, Ambroſius, Leo Magnus, qui ſi illud protuliſſent contra Sabellianos, alioſque hæreticos, ab eis data opera impugnatos, rem confeciſſent. S. Hieronymus, ajunt, addidit verba illa: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres unum ſunt*. Unde Patres qui poſt ipſum vixere, ea laudarunt. Sed hæc facile diluuntur: nam ſi teſtimonium illud in nonnullis Codicibus deſideratur, in aliis longe pluribus legitur, vel ſaltem ad marginem ſuppletur. Hujus autem variationis cauſa fuit vel Arianorum fraus, ut docet Auctor Prologi in ſeptem Epiſtolas Canonicas, qui

(*a*) 1. Joan. IV. 2. (*b*) Ibid. v. 7. 8.

qui D. Hieronymo tribui ſolet; vel Librariorum oſcitantia, qui non raro, brevitatis ergo, ubi eadem verba, ut in præſenti, bis recurrunt, ſemel tantum ea deſcribunt. Hieronymus autem ea ſane erat eruditione, ut quid ſuæ ætatis manuſcripta referrent, minime ignoraverit; eaque fide & ſapientia, ut probatiora non reſpuerit. Verum ipſe publicam lectionem non mutavit. Quandoquidem verſus ille extabat in antiqua Itala Verſione, qua ante Hieronymi ætatem utebatur Athanaſius Epiſcopus Aphricanus, nec non in vetuſtiſſimis membranis, unde Complexiones ſuas adornavit Caſſiodorus (*a*). Patres autem, qui textum illum Hæreticis non objecere, vel ad manus habebant codices qui eo carebant; vel cum poſſent aliunde errores confutare, de canonica illius auctoritate contendere noluerunt. S. Cyprianus, qui ante S. Hieronymum floruit, ad illum ſane textum reſpiciebat, cum ſcriberet: *Dicit Dominus: Ego & Pater unum ſumus: & iterum de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto ſcriptum eſt: Et hi tres unum ſunt* (*b*). Sed de Aphricanis nullum poteſt eſſe dubium, cum ipſorum Eccleſia, quinto ſæculo ſolemnibus & publicis Actis, quibus quadringenti Epiſcopi annuerunt, ad Hunericum Arianum Regem deferendis, textum illum inſeruerit, quin Ariani numquam auſi ſint ejuſdem falſitatem producere (*c*).

V.

(*a*) Vide Berti de Diſcipl. Theolog. l. 7. c. 3. & Calm. de hoc argum. diſſert.

(*b*) De Unit. Eccleſ.

(*c*) Apud Vict. Vitenſ. l. 3. de perſecut. Vandal.

*Textus ſententia.* V. Hæc autem poteſt eſse illius teſtimonii ſententia. Pater, miſsum a ſe Jeſum, ipſumque eſse Filium ſuum, voce de Cælo tonante, non ſemel teſtatus eſt. Verbum teſtimonium ſibi reddidit, doctrinæ præſtantia, vitæ ſanctitate, prodigiorum copia, & Reſurrectione, quæ ſane miracula omnia ſuperat. Spiritus denique ſanctus teſtificatus eſt de Jeſu Chriſti Incarnatione & Divinitate, cum in ipſum, a Joanne baptizatum, illapſus ſit, & cum innumeris donis Apoſtolos, ceteroſque Fideles, qui illius dogmata tuebantur, cumulaverit. Cum vero Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus unum idemque ſint natura, auctoritate, & ſententia, unum idemque de Jeſu Chriſto ferunt teſtimonium. Ita Spiritus, ſeu Anima, aqua, & ſanguis, qui de Chriſti morientis corpore exierunt, ad probandam aſsumptæ humanitatis veritatem pariter conveniunt.

*Quæ de Antichriſto certa feruntur.* VI. Nullus ex divinis Scriptoribus, præter Joannem, de Antichriſto expreſso nomine mentionem facit; qui de illius adventu Fideles alloquitur, tamquam de certiſſimo perituri Mundi indicio; atque hunc Antichriſtum tunc proditurum plane ſecernit ab iis qui antecedentibus temporibus Evangelium impugnaturi erant. *Filioli, auditis, quia Antichriſtus venit; & nunc Antichriſti multi facti ſunt; unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt* (*a*). Quicumque veritati, pietati, & juſtitiæ opponitur, maxime ſi id extraordinario quodam modo moliatur, Antichriſtus dicitur, Chriſti ſcilicet Ini-

(*a*) 1. Joan. II. 18.

Inimicus, qui totius veritatis, pietatis, & juſtitiæ fons eſt & origo. Hoc ſenſu Nabuchodonoſor, Cambyſes, Antiochus Epiphanes, Herodes, Nero, Domitianus, Diocletianus, Julianus Apoſtata, Simon Magus, Apollonius Thyanæus, Barchocheba, Mahumetus, Lutherus, Antichriſti dicuntur. Sed verus, & ſingularis Antichriſtus ante univerſale Judicium venturus, quæ in aliis ipſius veluti præcurſoribus, & figuris diviſa erat iniquitas, hanc in ſe colliget omnem. Talem nihilominus, tantamque ſanctitatem ſimulabit, ut plures Meſſiam ſint illum reputaturi, alii veluti Deum adoraturi. *Extolletur ſuper omne quod dicitur Deus, aut colitur* (*a*). De Antichriſto extat perpetua Patrum traditio. Judæi pariter, & Mahumetani ſuum expectant Antichriſtum. Judæi illum appellant *Armillum*, quem ex fædiſſima gentium conjunctione cum virginis cujuſdam ſimulacro Romæ erecto proditurum credunt; illum autem poſt multa horrendaque bella Meſſias delebit. Mahumetani illum vocant *Dejal*, nempe Impoſtorem, quem gigantem, uno oculo & ſupercilio in fronte media terribilem, fingunt, rati inſuper, Jeſum Chriſtum iterum in Orbem rediturum, ut Turcarum copiis ſtipatus, ipſum oppugnet (*b*). Ex his fabulis intelligimus, quantum de Antichriſti ſub Mundi exitum adventu fides in pleriſque terrarum nationibus inoleverit. Multi etiam ex ipſis Patribus, calamitatibus, quibus



(*a*) 2. Theſſal. 11. 3. Antichriſto differt.

(*b*) Vide Calm. de

Eccleſia premebatur, commoti, Antichriſtum, & extremum Mundi diem adventare, opinati ſunt; quin alii annum illius adventus præciſe indicarunt; quorum prædictiones, præteritum tempus reſpicientes, ex eventu falſas eſſe comperimus; ceteras vero, quæ futurum ſpectant, non ſolidiori nixas fundamento, judicamus. Judicium adventantis Antichriſti ex Paulo eſt ſeceſſio, ſive apoſtaſia (*a*). Sed quænam illa? Ab Eccleſiane, an ab Imperio, an ab utroque? Quodnam temporis intervallum inter apoſtaſiam, & Antichriſti adventum? Quo perventura eſt ea apoſtaſia, ut inde proximum Antichriſti adventum eruamus? Incertum pariter, an Babylon, ſive Syria, vel Palæſtina, ejus patria futura ſit. Ex Judæorum ſane genere Antichriſtum proditurum, omnes conveniunt. Communis pariter ſententia, parentes illius ex Tribu Dan, a Joanne præterita (*b*), oriundos, docet, quamvis aliqui cenſeant, Dæmonem ex perditiſſima femina patrem illius futurum, & alii velint, Antichriſtum non hominem fore, ſed Dæmonem, humana natura indutum. Sunt qui tradant, illum oriturum ex inceſtu patris cum filia, vel filii cum matre, vel fratris cum ſorore, vel demum ex matre voto caſtitatis obſtricta. Qui Babylonem patriam illius ſtatuunt, Babylone pariter exordia Regni illius conſtituunt. Ad illum Judæi primi accedent; cumque omnes omnino regiones ſibi ſubegerit, in Palæſtinam con-

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 15. c. 10. n. 3.

(*b*) Apoc. VII. 5.

contendet, & Hieroſolymæ ſedem collocabit. Gog & Magog Reges, in ipſum fortiſſimis copiis irrumpentes, prælio delebit. His geſtis, Antichriſtus totius Univerſi Princeps habebitur, excitabitque iterum Salomonis Templum, quod ceu Meſſias, & Deus occupabit. Idololatriam, Judaiſmum, Chriſtianiſmum, & Mahumetiſmum æque adverſatus, peculiarem Religionem inſtituet, cujus Auctor, & argumentum aliud ab ipſo non erit. Ad Antichriſti autem progreſſus cohibendos, & ad Juſtos in maximo, quo eorum conſtantia tentata umquam fuerit, diſcrimine juvandos, Enochum & Eliam Dominus mittet, qui poſtquam ei ſpatio 1200. dierum, qua prædicatione, qua prodigiis, repugnaverint, tandem ab eo occidentur, eorumque cadavera per tres dies cum dimidio inſepulta mediis Hieroſolymis jacebunt; quo ſpatio elapſo reſurgent, & omnibus ſtupentibus in Cælum recipientur (*a*). Inter cetera prodigia, quibus Antichriſtus clarebit, & ſui ipſius reſurrectio recenſetur, fucata tamen illa, & commentitia. Lethali vulnere ſauciatus, mortuus reputabitur; & aliquanto poſt ceu vitæ reſtitutus prodibit. *Beſtia, quæ habet plagam gladii, vixit* (*b*). Quo temporis ſpatio Imperium penes Antichriſtum futurum ſit, ignoratur; ipſius tamen perſecutionibus trium annorum ſpatium cum dimidio aſſignatur. Hujus Principis dies Electorum gratia contrahentur (*c*); aliter quis ejus impetus declinare, vel

Q 2

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 1. c. 7. n. 10. Apoc. XI. 3.

(*b*) Apoc. XIII. 14.

(*c*) Matth. XXIV. 22.

vel dolis valeret obſiſtere? Perditiſſimum hunc hoſtem ſuum, ad montem Oliveti Fidelium reliquias urgentem, Jeſus Chriſtus *ſpiritu oris ſui interficiet* (*a*). Eo ſublato, Eccleſiæ pax reſtituetur, & nefariis illius ſectatoribus probro quam maximo affectis, Judæi de Meſſia tamdiu expectato deſperantes, ad Chriſtum convertentur (*b*). Hæc ex Scriptura & Patribus de Antichriſto attulimus. Licet autem de rebus futuris agentes, vel aliqua circumſtantia, vel alicujus facti ordine falleremur, Antichriſtum ſaltem Regem potentiſſimum, & impoſtorem omnium nequiſſimum fore, ambigi non poteſt. Damus quidem iis, qui Antichriſti adventum inter ſomnia computant (*c*), hunc probari illis Ezechielis, Danielis, Jeſu Chriſti, Pauli, & Joannis locis, qui Synagogæ & Eccleſiæ perſecutores ut plurimum deſignant, puta Antiochum Epiphanem, Neronem, Julianum Apoſtatam. Sed cum videamus, eoſdem textus a Patribus Antichriſto quoque aptari, minimeque ignoremus, Scripturam plures habere ſenſus vel literales, hinc de Antichriſti adventu perſuaſionem amplectimur, ceu vetuſtam, communemque Eccleſiæ traditionem. Et hæc dicta ſint occaſione primæ Epiſtolæ a Joanne Evangeliſta ſcriptæ.

*Secunda & tertia Joannis Epiſtola.*

VII. Secundam & tertiam Epiſtolam nonnulli Joanni Evangeliſtæ eripuere (*d*); immerito

(*a*) 2. Theſſal. II. 8. Daniel. XI. 45. Lactan. de divin. procem.

(*b*) Oſee III. 4. Rom. XI. 25.

(*c*) R. Manaſſes Ben-Iſrael, Centuriat. Beza Grot.

(*d*) Eraſm. Grot. dubitat. Cajetan.

rito tamen, cum & ſtilus, ſententiæ, characteres, ceteræque circumſtantiæ, & unanimis, potiſſimum a quarto hucuſque ſæculo, Eccleſiæ conſenſus pro eodem Apoſtolo nos ſtare compellant. Se ipſe deſignat Senioris, ſeu Preſbyteri nomine, qui ceteris Apoſtolis longiorem vixit ætatem. Electa, cui ſecunda Epiſtola inſcribitur, pia erat matrona, apud Hiſtoricos ignota, licet Clemens Alexandrinus Babyloniam fuiſſe credat. Quidam hujus feminæ nomen *Kiriam*, ſeu *Dominam*, *Electam* vero epitheton, ſeu præclarum titulum, putant: *Dominam a Deo electam*. Alii negant, aut Electam fuiſſe, aut Kiriam, ſed Eccleſiam aliquam enigmatica ea appellatione ſignificari putant. Facile Joannes & ſuum, & hujus Eccleſiæ nomen præteriit, veritus ne in manus infidelium Epiſtola incideret, a quibus male exciperetur. Id conſilii fuiſſe credimus Petro, & eidem Joanni, quando Romam Babyloniæ nomine indicarunt (*a*). Electam ejuſque filios hortatur Joannes, ut conſtantes in fide & caritate perſeverent, vitent hæreticos, nullaque cum iis conſuetudine utantur. Tertiam Epiſtolam Cajo inſcripta eſt, qui alter cenſetur ex duobus Pauli Diſcipulis, quorum utrumque hoc nomine appellatum novimus (*b*). Alter Corinthi morabatur, alter erat Derbæus. Cajus, ad quem ſcribit Joannes ipſi apprime carus erat, & hoſpitalitati operam dabat, vel invito Diotrephe, ejuſdem, uti credimus,



(*a*) 1. Petr. v. 13. Apoc. XVI. 19 XVII. 5.

(*b*) 1. Cor. 1. 14. Act. XX. 4.

urbis, in qua ille morabatur, Epiſcopo; qui Fratres ab Judaiſmo ad fidem converſos hoſpitio excipi vetuerat, & eos qui exceperint, anathemate feriebat. Facile ii legales ritus exemplo Joannis colebant. Porro Joannes Cajum hortatur, ut non contentus conſuetæ hoſpitalitatis officio, peregrinos a ſe diſcedentes honoris cauſa proſequatur, & res ad iter neceſſarias ſuppeditet; cum id multum iis conferre poſſit qui ab Infidelium hoſpitio abhorrebant. Utraque hæc Epiſtola facile commendatitia erat, qua Fideles alicujus Eccleſiæ inſtructi ad aliam ſe conferrent, eaſque delatas credimus a Judæis Fidelibus, qui Evangelio prædicando addicti vagabantur, & ab Ethnicorum donis, & contubernio abſtinebant. Quo tempore ſcriptæ ſint, ignoratur; Baronius tamen, aliique multi, ſub Joannis exitum, nedum geminas haſce Epiſtolas, ſed & primam, exaratas cenſent.

*Scriptor, auctoritas, & tempus Apocalypſis.*

VIII. Primis Eccleſiæ ſæculis canonicam Apocalypſis auctoritatem nemo impugnavit, aut Opus illud Joanni Evangeliſtæ eripuit. Cajus Romanus Presbyter circa annum Chriſti 210. omnium primus, quamvis non dolo malo, utrumque tentavit, Millenariorum errorem impugnaturus, qui ex Apocalyſi hæreſim ſuam præcipue tueri conabantur. Librum igitur illum non a Joanne, ſed a Cerintho editum aſſeruit, in quam ſententiam plures abiere, ut prodit Dionyſius Alexandrinus, qui ſingularia & ipſe cogitans, Opus Joanni quidem, quo nomine in eadem Apocalypſi Au-

ctor ſe ſe appellat, adſcribendum cenſuit, ſed alteri ab Evangeliſta, quod Libri ſtilus ab illius Evangelio diſcrepare videretur (*a*). Alter autem Joannes erat vel Joannes Marcus, de quo in Actis Apoſtolorum, vel ille Joannes, cujus ſepulcrum Epheſi prope monumentum ipſius Joannis Evangeliſtæ ſpectabatur (*b*). Quamvis autem hiſce de cauſis a nonnullis de Apocalypſis auctoritate dubitatum olim fuerit, ſanior tamen & frequentior etiam Antiquorum pars illam ut divinam in Canonem recepit; & poſt quartum ſæculum nemo ea de re uſque ad novarum hæreſum ætates ambiguus fuit. Lutherus igitur Apocalypſim rejecit, ceu Librum minime intelligibilem, & inutilem, atque adeo indignum, qui a Joanne ſcriberetur. At Magiſtri errorem Diſcipuli impugnarunt. Nonne Apocalypſim legentes ſuaviter adeo afficimur, ut de Deo, & Jeſu Chriſti Myſteriis, Victoriis, Regno, Judicio magnifice cogitemus? Nonne quidquid in Scripturis pulcherrimum invenitur, hic colligitur? Non moror Alogos, Arianorum ſurculum, Librum illum idcirco repudiantes, quod ibi Dei Filium, ut in Evangelio ab ipſis pariter rejecto, Joannes Verbum appellet (*c*). Communi autem Eccleſiæ perſuaſioni ipſemet Operis Auctor congruit adamuſſim, ubi ſcripſit: *Ego Joannes .... fui in inſula, quæ appel-*



(*a*) Apud Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 25.
(*b*) Hieron. de Script. c. 9.
(*c*) Epiph. hæreſ. 52.

*latur Pathmos, propter verbum Dei* (*a*). An hæc alteri conveniunt quam Joanni Evangeliſtæ? An Joannem Evangeliſtam afflatum Spiritu ſancto quis negabit? Quo teſtimonio intelligimus etiam, cui tempori adſcribenda ſit Apocalypſis, nempe poſt Joannis in Inſulam Pathmos aſportationem, imperante Domitiano. Epiphanius tamen ſolus ex Antiquis Joannis exilium ſub Claudio conſignat (*b*), cui Grotius, Ligfootus, & Hammondus ſubſcribunt. Salmeron etiam, Hentenius, & Poſſinus Apocalypſim ante Hieroſolymæ excidium ſcriptam defendunt. Verum ceteri omnes inter Chriſti annos 94. & 96. exaratam tuentur, in eo tantum diſcordes, quod alii ſub Domitiano in Inſula Pathmos, alii poſt ipſius obitum, in Urbe Epheſo, literis traditam velint. Omnes cenſent, Apocalypſim græce ſcriptam fuiſſe, ſi Scaligerum excipias, qui hebraice mavult. Stili varietas, quam aliqui vident, in ætatem Auctoris, in temporis circumſtantias, in rei argumentum, in amanuenſem, poteſt referri. Quin nonnulli putant, ipſum Chriſtum Apocalypſim ad verbum dictaſſe, Joannem vero dictata conſcripſiſſe; quæ tamen ſententia nobis minus probatur. Tenemus tandem, omnia quæ eo Libro continentur, una eademque die Dominica, qua raptus fuit (*c*), ſpectaſſe, vel audiviſſe; at omnia conſcripta eſſe eadem ipſa die, non aſſerimus, licet de iis alii aliter ſentiant.

IX.

(*a*) Apoc. 1. 9.
(*b*) Hæreſ. 51.
(*c*) Apoc. 1. 10.

IX. Invita licet Apocalypſis obſcuritate, infiniti propemodum eam interpretari ſunt aggreſſi, qui quatuor in claſſes diſpeſcuntur. Primo enim nonnulli omnia quæ habet Joannes, ad ſenſum moralem detorquent. Secundo alii poſt tria priora capita, quæ ad ſeptem Aſiæ Proconſularis Eccleſias, Epheſi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, & Laodiciæ, quas ſingulari cura Apoſtolus regebat, ſpectant, cetera omnia de ſuprema Judicii die explicant. Beſtiam proinde ſeptem capitum Antichriſtum dicunt; duos teſtes, Henochum & Eliam; mille annorum Regnum, æternam Juſtorum Beatitudinem; & ſeptem plagas, de calamitatibus quæ Mundi interitum præibunt, interpretantur. Tertio Proteſtantium plurimi, ut merito ab Eccleſia Romana ſe defeciſſe oſtendant, quidquid teterrimi Joannes deſcribit, eidem Eccleſiæ temere appingunt. Si illos audias, Beſtia, & Antichriſtus eſt Papa; Babylon, & Meretrix Romam exhibet, cui Papa dominatur; plagæ calamitates referunt, quibus Papa, & Papæ ſectatores obruendi ſunt. Sed hæc interpretamenta ita a veritate adhorrent, ut vel ab illorum ſapientiſſimis improbentur (*a*). Quarto plures a Joanne viſa, hiſtorice de iis exponunt, quæ Eccleſiæ, perſecutionibus agitatæ, evenere; qui iterum quadrifariam dividuntur. I. Grotius & Hammondus omnia ferme quæ poſt caput tertium afferuntur, ad calamitates trahunt quibus ſub Nerone & Veſpa-

*Varia interpretandi Apocalypſim ſiſtemata.*

(*a*) Grot.

paſiano Judææ Eccleſia confecta ingemuit. Putant enim, Joannem, uti ſupra notavimus, Apocalypſim ſub Claudio ſcripſiſſe. II. Boſſuetus Joannem prædixiſſe contendit ea infortunia, quibus Eccleſia ab Imperatoribus Ethnicis uſque ad Conſtantini pacem, & quibus deinde ab Apoſtata Juliano vexanda fuerat; victorias etiam ab eadem Eccleſia referendas; ultionem denique de Roma, & Romano Imperio per barbarorum impetus quarto & quinto ſæculo divinitus expoſcendam. Boſſueti veſtigiis inſiſtit Calmetus, qui Romæ, Romanique Imperii caſum Apocalypſi contineri pariter cenſet. III. Dominus de la Chetardye ſeptem ſigillis, quæ Agnus aperit, ſeptemque tubis, quas Angeli inflant, ſeptem Eccleſiæ ſtatus deſignari docet: ſcilicet 1. Martyrum perſecutiones uſque ad Conſtantinum. 2. Hæreſes, deinde ſubſequutas. 3. Barbarorum in Romanum Imperium irruptiones. 4. Mahumetanorum tyrannidem & Græcorum ſchiſma. 5. Lutheri apoſtaſiam. 6. Statum Eccleſiæ futurum, in quo Antichriſtus Henochum & Eliam interficiet. 7. Poſtremum Judicium, quod capite undecimo deſcribitur. Capite duodecimo & ſequentibus, ad Eccleſiæ fundationem reverſus, Martyrum perſecutiones, eorumque de hoſtibus victorias, Conſtantini Imperium, Juliani Apoſtatæ impios conatus, pœnas a Deo per Barbaros de Roma ſumptas, Auctor explicat. Poſt Romani Imperii excidium ſolemnes Agni Nuptiæ celebrantur, & ſerpens vinculis addicitur. Hic ſtatus Eccleſiæ uſque

ad

ad Antichriſti adventum, quem capite decimo nono habes. Hunc excipiet ultimum Judicium, cui Chriſti, & Sanctorum triumphus ſuccedet. Profecto rem ingenioſe agit. Verendum tamen eſt, ne hæc Eccleſiæ in ſex ætates diſtributio arbitrio nimium nitatur, & ne regreſſus a ſupremo Judicio ad Eccleſiæ fundationem plus æquo detortus ſit. V. Dupinius tandem & ipſe hiſtorice exponit, ſed in ſuis expoſitionibus, generali quadam ratione utitur, ſingula Joannis viſa ſingulis eventibus minime accommodans, ratus, ea non ad hanc magis rem, ſive hiſtoriam, quam ad illam reſpicere. Quare quodammodo fluctuare videtur, contra Joannis mentem, qui tot adjunctis & deſcriptionibus peculiare aliquid innuere voluiſſe crederetur.

*Apocalypſis diviſio & argumentum, juxta Calmetum.*

X. Agere Joannem de vexationibus Eccleſiæ illatis a Diocletiano, aliiſque Imperatoribus uſque ad Conſtantinum, & de futuris eventibus Romani Imperii ab eo tempore uſque ad Romæ caſum, immerito negaretur; cum plures notæ, imagineſque ab Apoſtolo exhibitæ, eo nos vel invitos ſpectare compellant. En eorum ſpecimen, quæ Calmetus meditatus eſt. Apocalypſis in tres dividitur partes, quarum prima tria priora capita de ſeptem Aſiæ Eccleſiis complectitur. Sexdecim quæ ſubſequuntur capita alteram partem conſtituunt. Ad tertiam partem tria poſteriora capita pertinent, ubi Martyrum gloria, Judicium ſupremum, Mortuorum reſurrectio, Beatorum felicitas, & Chriſti triumphus deſcribun-

buntur. Secundam partem Auctor coarctat intra annum 303. quo maxima Diocletiani cœpta eſt perſecutio, & annum 410. quo Romam Alaricus expugnavit; quibus tamen Judæi, Præfecti, Imperatores, & Idololatræ ceteri, qui ante eam epocham Fideles vexarunt, prælufere.

*Dei Majeſtas Joanni exhibetur.*

XI. Principio Dei Majeſtas, & Chriſtus Dominus exhibentur (*a*). Quo autem Deus Joannis ingenio ſe ſe accommodaret, videndum ſe in Cælo perinde obtulit, ac in Templo illum ſpectabant Judæi. Agnus, ſive Chriſtus, poſt mortem redivivus, in Altari Holocauſtorum jacebat; Senes viginti quatuor, quot erant familiarum leviticarum Principes, thronum, a Deo occupatum, hemicyclo ad latus orientale ambiebant; Dominus occidentalem plagam, ubi Sanctuarium, quod tanquam Dei ſedes habebatur, tenebat. Solium ipſius quatuor Animalia plena oculis, uti Cherubim ab Ezechiele deſcripta, ſuſtentabant. Locus ſeptem lampadibus colluſtrabatur, quæ Candelabrum aureum ſepticeps referebant. In conſpectu Throni Mare vitreum videbatur, ingens ſcilicet æneum illud vas, quod ad refrigerationem & munditiem Salomon collocaverat.

*Agnus ſigilla removet, & Angeli tubas inflant.*

XII. Porro Agnus acceſſit ad thronum Dei, excepitque ex illius manibus Librum, ſeptem clauſum ſigillis, in quo futuri de Eccleſia, & Imperio eventus continebantur. Dum ſeptem illa ſigilla ab Agno reſolvuntur, totidemque ab

(*a*) Apoc. IV. V.

ab Angelis inflantur tubæ, varia calamitatum genera typis adeo obſcuris prænuntiantur in Eccleſiæ perſecutores, ut fruſtra quis tentaret ſingula de hac potius, quam de illa calamitate explicare (*a*). Ceterum terræmotus, Solis Lunæque defectus, Stellarum lapſus, montium concuſſio, locutiones hyperbolicæ ſunt reputandæ, quas ex Prophetis imitatus ſit Joannes, ut extrema & generalia mala, diſſidia, ſeditiones, bella, Cæſarum interitus, Imperii ruinam, Romæ direptionem & incendium vividius ſignificaret (*b*).

XIII. Angelus, qui e Cælo Librum detulerat, uno pede mari incubuit, altero terræ, ſublatiſque ad Deum manibus juravit, myſterium actutum impletum iri, ſicut Prophetæ vaticinati fuerant; traditumque Joanni volumen obſignari juſſit, nec arcana ejus evulgare (*c*). Quid rei eſſet myſterium, deinde revelatum fuit. Joannes enim juſſus eſt ut Templum & Altare metiretur, præter Atrium populi, ſive Gentium, quod hoc menſibus 42. ſeu diebus 1260. aut tribus annis cum dimidio, a prophanis eſſet proterendum; quo temporis ſpatio duo Teſtes, ſive Prophetæ, miraculis clari, jugiter prædicabunt; ſed tandem a Beſtia occidentur, eorumque cadavera inſepulta jacebunt in civitate, *quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt*; qui tamen in vitam redibunt,

*Dira Diocletiani perſecutio, Conſtantino ad Imperium evecto, ceſſat.*

(*a*) Apoc. VI. VII. VI. 12. VIII. IX.
(*b*) Calm. in Apoc.
(*c*) Apoc. X.

bunt, & populo ſtupente in Cælum aſcendent. Ad hæc ſeptimus Angelus ſeptimam tubam inſonuit, auditaque læta vox, qua *Regnum hujus Mundi* Chriſtus conſequutus dicebatur. Apertum etiam eſt *Templum Dei*, & *viſa Arca Teſtamenti* (*a*). His ſæviſſima Diocletiani perſecutio deſcribitur, quæ cœpit anno 303. die 23. Februarii, perduravitque uſque ad annum 306. die 25. Julii, quo Conſtantinus Imperium adeptus eſt. Triennali illo ſpatio Eccleſia, quoad ipſius exteriora, Templa ſcilicet, facultates, & Fidelium corpora, Ethnicorum poteſtati permiſſa videbatur. Tunc duo Teſtes occiſi ſunt, innumeri ſcilicet Martyres ex utroque ſexu, ex Oriente & Occidente, ex Judæis & Gentilibus, ex Clericis & Laicis; qui Henochi & Eliæ in fine Mundi ab Antichriſto occidendorum ſunt figura. Cum vero Conſtantinus, Imperium adeptus, edicta pro Chriſtianis edidiſſet, ceſſante perſecutione, Eccleſia, quæ eſt Chriſti Regnum, clarere cœpit, crevitque illius ſplendor eodem gradu, quo Conſtantinus æmulos ſuos dejiciebat, ac longe magis, lateque Evangelii prædicationem provexit, nec Martyrum Reliquias debito honore fraudavit. Huc ſpectat Templi aperitio, Arcæ revelatio, & duorum Teſtium reſurrectio. Quod vero Roma impudicitia & idololatria redundans, myſtice appellari potuerit *Sodoma* & *Ægyptus*, nulli dubium eſſe poteſt. Poſſumus etiam dicere, quod Romæ Chriſtus crucifixus fuerit, non

(*a*) Apoc. XI.

non in ſe, ſed in membris ſuis, ſcilicet in Fidelibus, juxta ac ipſemet ex Veterum fide Petro dixit: *Venio Romam iterum crucifigi* (*a*).

XIV. Beſtia, quæ in Chriſtianos ſæviit, Draco erat ſeptem capitibus, & decem cornubus inſtructus. Facile ex illis capitibus tria erant bicornia, reliqua unicornia. Capita fronte blaſphemiæ nomen geſtabant, cornua diadema. Huic Beſtiæ Meretrix purpurata, cui nomen Babylon, quæque ſeptem excellit montibus, inſedebat (*b*). Romam hic exhiberi, in confeſſo eſt; cui præerant ſeptem Imperatores, Diocletianus, Maximianus, Galerius, Maximinus, Severus, Manentius, Licinius, qui Chriſtum blaſphemabant, & Conſtantini gloriæ invidebant. Decem cornua coronata decem ſunt Reges, qui poſt Imperii excidium in illius provinciis poteſtatem obtinuere. Hortatur autem Joannes, ut numerum Beſtiæ computemus, qui eſt *666.* (*c*). Nil hujus numeri explicatione difficilius. Boſſuetus rem Diocletiano accommodat, cui ante Imperium nomen erat *Diocles*, legitque *Diocles Auguſtus*. Inſpectis autem literis numeralibus Latinorum, cum de Imperatore Latino agatur, numerus *666.* prodibit. Literæ ſunt DICLVVV. quæ valent 500. 1. 100. 50. 5. 5. 5. Cum vero Beſtia, & Diocletianus ſint Antichriſti figura, Antichriſto pariter numerus ille accommodari debet.

*BeſtiaRomam refert Chriſti inimicam.*

XV.

(*a*) Vide hanc Hiſtor. XVII. 3. 9. l. 15.

(*b*) Apoc. XIII. 1.

(*c*) Apoc. XIII. 18.

*Mulier amicta Sole Beſtiam fugit.*

XV. Cum Mulier alia, a priore illa proſtituta longe diverſa, in Cælo apparuiſſet, & partui proxima videretur, teterrimus ille Draco, propior ei factus, hiantibus faucibus partum expectabat, ut ipſum voraret. At Filius vix natus, in Cælum ſublatus eſt, unde Beſtia cauda ſua tertiam Stellarum partem detraxerat, Mater vero in ſolitudinem ſe ſe recepit (*a*). Mulier, qua nihil ditius, nihil auguſtius, quippe cujus amictus erat Sol, ſcabellum Luna, & corona duodecim ſiderum plexus, Eccleſiam referebat, quæ furente Imperatorum perſecutione in cryptis, ac deſertis latitabat. Plures ex illius filiis, pro Chriſto morientes ad Cælum convolarunt; ſed alii a Fide deficientes eam felicitatem amiſerunt. En Stellarum caſus.

*Licinius a Diabolo, per Michaelem victo, in Fideles impellitur.*

XVI. In Cælo aliud viſum eſt ſpectaculum. Michael & Draco, ſuis quiſque aſſeclis fultus, decertarunt. Cum potiora obtinuiſſet Michael, Draco e Cælo decidens, majori in Mulierem illam exarſit ira. Sed pro Matre pugnarunt Filii, & Beſtia, in Terra quoque victa, ſuper arenam maris conſtitit (*b*). Hæc Licinium, qui ſolus ſupererat e ſeptem Imperatoribus, Chriſtiani nominis hoſtibus, pingunt, qui quamdiu Conſtantino adhæſit, Chriſtianorum fautor fuit; ſed Diabolo, a Michaele quondam victo, agente, cum a Conſtantino receſſiſſet, Chriſtianorum perſecutor evaſit. Verum Conſtantinus Licinium anno 323. penitus fregit, & Theſſalonicam, quæ urbs maritima eſt,

(*a*) Apoc. XII. 1. (*b*) Apoc. XII. 7. 18.

eſt, relegavit; ubi tandem laqueo eliſus interiit.

XVII. Sublato Licinio deleta videbatur Beſtia, quæ in Eccleſiam furebat; ſed poſt Conſtantini & filiorum obitum, in Juliano Apoſtata Beſtia rediviva apparuit. Monſtro huic *duo erant Agni cornua* (*a*). Vaferrimus Imperator iſte, cum ingenium Chriſtianæ Religionis plane noſſet, a fera illa ſuperiorum Cæſarum crudelitate abſtinens, fatigandam cenſuit Fidelium patientiam lentis ſubdoliſque vexationibus, quibus ſenſim ad Ethnicorum mores inducerentur. Arte quoque magica editis quibuſdam prodigiis, deductoque e Cælo igne incautos decepit (*b*). Sed etiam illius perſecutio tribus tantum annis cum dimidio duravit (*c*). Salutatus enim fuit Imperator circa ver anni 360. & anno 363. die 27. Junii in expeditione Perſica interiit.

*Nova Beſtia Julianus Apoſtata.*

XVIII. Decem illi Reges, ſive populi, qui Beſtiæ cornubus portendebantur; ſcilicet Perſæ, Saraceni, Vandali, Gothi, Longobardi, Burgundi, Franci, Hunni, Alani, & Svevi, rebus Romani Imperii jam occupatis, deſolaverunt, concremaruntque Meretricem illam purpuratam, nempe Romam, ſubditaſque illi provincias (*d*); qua occaſione ſeptem Angeli totidem phialas ira Dei plenas in Eccleſiæ perſecutores effuderunt (*e*). Et quamvis ab initio gentes illæ, non minus ac Roma, ſuperſti-

*Pœna de Roma ſumpta per decem Reges, qui ſe Chriſto ſubdunt.*



(*a*) Apoc. XIII. 3. 11.
(*b*) Apoc. XIII. 13.
(*c*) Apoc. XIII. 5.
(*d*) Apoc. XVII. 14.
(*e*) Apoc. XV. XVI.

ſtitioni ſtuduiſſent, & Agnum impugnaſſent, ab eo tamen victi, Chriſtianam Fidem tandem amplexati ſunt (*a*).

*Chriſti triumphus, & cum Eccleſia nuptiæ.*

XIX. De Imperii Diaboli everſione, de Romæ interitu, deque Fidei dilatatione, Reges & Principes idololatræ, qui adhuc ſupererant, ingenti affecti ſunt dolore (*b*); Cælo viciſſim quam maxima exultante lætitia, ſolemnes cum Eccleſia nuptias celebravit Agnus, ſive Chriſtus, qui equo albo vectus triumphantis more paruit, ſcriptum habens in ea veſtium parte quæ in femur pendebat: *Rex Regum & Dominus Dominantium* (*c*). Ipſæ autem veſtes rubeſcebant ſanguine hoſtium, quos trucidarunt ejus miniſtri, præſertim Conſtantinus, cum æmulos ſuos omnes, Fidei inimicos, confecerit, & Alaricus, cum Romam, quæ Chriſti aſſeclas peremerat, gladio & igne voraverit. Hæc ex Calmeto delibavimus, quæ ſane placent; magis autem placerent, ſi ab Antiquis tradita fuiſſent, & ſi obtorto interdum collo ad præſtabilitum ſiſtema non petraherentur: id quod maxime ſpectari poteſt in geminorum Prophetarum teſtimonio, de Martyribus explicato. Inſignem igitur, memorandumque illum Romæ, Romanique Imperii eventum a Joanne deſcriptum eſſe credimus; ſed ſimul putamus, Apoſtolum, Prophetarum more, alio ſæpe divagatum, ea proprio & literali ſenſu retuliſſe, quæ ſub Mundi exitum futura creduntur. Ceterum minime ambigimus,

(*a*) Apoc. XVII. 14. 16.
(*b*) Apoc. XVIII. 9.
(*c*) Apoc. XVIII. 29. XIX.

mus, Interpretes, quacumque ſcientia & eruditione præditos, majorem hujus Operis partem ſemper ignoraturos, Mundique finem expectandum eſſe, ut ex eventu difficultatibus omnibus ſolutis figuræ ſingulæ percipi poſſint.

XX. In ſua extaſi vidit Joannes Martyrum animas condi ſub Altari Holocauſtorum; quibus ultionem de ſanguine ſuo poſtulantibus reſponſum fuit, ut aliquandiu expectarent, donec Fratrum numerus impleretur (*a*). Locus iſte in eam ſententiam multos adduxit, ut crederent, piorum animabus, licet omnino expiatis, Dei viſionem, ſeu cæleſtem Beatitudinem, uſque poſt Reſurrectionem, & ſupremam Judicii diem, differri; in quam ſententiam nonnullis viſus eſt inclinaſſe etiam Joannes XXII. non quidem definiendo, ſed opinando tanquam Doctor privatus. Verum qui illum excepit Benedictus XII. & generalia Concilia Florentinum & Tridentinum opinionem illam damnarunt. Ceterum animæ ab Apoſtolo viſæ, erant quidem ſub Altari, ſed non extra Templum, quo Cælum figurabatur, in quo ſane Deus videtur. Porro cum Martyres ceu victimæ pro Fide Chriſti ſacrificatæ haberentur, nullo poterant aptiori loco exhiberi, quam ſub Altari, ubi in Templo hoſtiæ jugulabantur. Niſi dicere mavis, obtinuiſſe, Joanne adhuc in vivis agente, ut Martyrum corpora ſub Aris conderentur; atque ritum hunc ab Apoſtolo ſpectatum fuiſſe. Demum perfecta de Martyrum ſanguine ultio differtur uſ-

*Animæ Sanctorum, licet ſub Altari cōditæ, Dei viſione fruuntur.*



(*a*) Apoc. VI. 9.

men error hic diſtinguendus; nam juxta Cerinthum Sancti in illo millenario Regno carnis cupiditatibus & obſcœnis illecebris indulxiſſent; juxta Papiam vero Hieropolitanum Epiſcopum, & reliquos Patres, qui eum, utpote Joannis Evangeliſtæ auditorem, & Polycarpi Martyris ſodalem, ſectati ſunt, Irenæum, Juſtinum, Lactantium, alioſque plures, deliciis tantum juſtis, moderatis, honeſtis uſi fuiſſent. Verum Regnum Millenarium, purum putumque mendacium eſt, ab Eccleſia in Concilio Romano ſub Damaſo anno 373. damnatum. Quod etiam Evangelio eſt contrarium, in quo ſane legimus, poſt Reſurrectionem nullum connubium fore, ſed omnes in Cælo futuros ceu Angelos Dei (*a*). Immerito autem Papias aſſeclas ſortitus eſt; vir enim tenui erat ingenio, qui non ſatis apte percipiens Apoſtolorum doctrinam, ad verbum uſurpabat ea. quæ myſtice explicanda erat (*b*). Urgebant quidem Millenarii duplicem Reſurrectionem, alteram Juſtorum, Impiorum alteram, quas inter Regnum Millenarium florebit; quæ omnia perſpicue innuit Joannes. *Ceteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima. Beatus & Sanctus qui habet partem in reſurrectione prima...... Regnabunt cum Chriſto mille annis* (*c*). Altera reſurrectio proditur infra, ubi legitur: *Et mors, & infernus dederunt mortuos ſuos* (*d*). Quibus reponimus, primam reſur-

R 3 re-

(*a*) Matth. xxii. 30. Luc. xx. 28.

(*b*) Euſeb. l. 3. c. 39.

(*c*) Apoc. xx. 5. 6.

(*d*) Apoc. xx. 13.

rectionem typicam eſſe, nempe animarum Beatitudinem, quam Sancti plene purgati ſtatim conſequuntur; quæ quidem reſurrectio alteram corporum, juſtis, & impiis communem, in fine Mundi futuram, præcedit. Interim Sancti in Cælo cum Chriſto regnant mille annis, longo ſcilicet tempore, uſque ad ſupremum Judicium. Nonnulli ajunt, Sanctos ante communem corporum reſurrectionem regnare in prodigiis, quæ ad eorum ſepulcra patrantur, tum & in obſequio illis ab Eccleſia impenſo (*a*).

*Cæleſtis Urbis deſcriptio.*

XXIII. Joannes tandem ſupremam manum impoſiturus omnibus utriuſque Teſtamenti oraculis, cæleſtem Hieroſolymam, quo Fidelium vota feruntur, deſcribendam ſuſcepit. Hanc e Cælo in Terram deſcendere teſtatur, eo cultu ornatam, quo Sponſa ad Sponſum traducitur (*b*); quibus innuit, poſt Reſurrectionem, nulla ſuperſtite Eccleſia Militante, Triumphantem nedum in Cælum, ſed & in Terram Regnum ſuum late propagaturam. Addit, Civitatem illam eſſe quadratam, cujus longitudo, altitudo, & latitudo pares ſint, ſtadia duodecim millia (*c*), hoc eſt 1500. milliaria referentes, ſpatium ſane amplæ provinciæ continendæ minime impar; qua amplitudine Cæleſtis Patriæ divitiæ, ſoliditas, magnificentia ſatis demonſtrantur. Sed qui fieri poteſt ut altitudo ejus longitudini, & latitudini æquaretur? Mænia a montis radice, cui Urbs inſide-

(*a*) Alcaſar. Grot. Boſſuet. Vide ſupra n. 21.

(*b*) Apoc. XXI. 2.

(*c*) Apoc. XXI. 16.

debat, altitudine duodecim millibus ſtadiorum aſſurgebant; nam murus, quo Urbs ambiebatur, centum quadraginta quatuor cubitorum altitudinem non excedebat (*a*). Templi ſubſtructiones facile ipſius longitudinem, & latitudinem æquabant. Porro numerus duodenarius urgendus non eſt, cum ubique recurrat, tamquam omnium baſis & radix; duodecim portæ, duodecim cuſtodes, duodecim fundamenta, duodecim tribus, duodecim fructus. Duodenarius numerus ſacer erat ex duodecim Patriarchis Jacobi filiis, quos Auctores habet tota Hebræorum gens; & ex duodecim Apoſtolis, per quos fides in Mundo ſata eſt. Urbs denique in quadro poſita erat, ad quatuor Mundi partes obverſa, ſinguliſque ejus lateribus reſpondebant æquis intervallis portæ tres (*b*). Gemina habet Ezechiel de Civitate Levitis poſt Captivitatem aſſignanda (*c*). Templum quadratum erat, quadratum & Tabernaculum in deſerto, licet altera parte productius, quod Tribus ambiebant, tres ad ſingula latera diſpoſitæ. In Tabernaculum nullus Soli aditus, cujus defectum Candelabrum ſupplebat. Hinc Civitas ſuperna *non egèt Sole*, Dei claritate, & Agni lucerna coruſcans (*d*). Joannes ad Veteris Teſtamenti figuras ſemper alludit, & qui has ubique non quærit, explicandæ Apocalypſi impar erit.



(*a*) Apoc. xxi. 17.
(*b*) Apoc. xxi. 13.
(*c*) Ezech. xlviii.
(*d*) Apoc. xxi. 23.

Diſcipulis prandere dignatus eſt (*a*). Hæc ex Evangelio; cetera ex Traditione ſumenda ſunt.

II. In Orbis inter Apoſtolos diſtributione regionem Parthorum Thomæ contigiſſe, Veteres aſſerunt. Alii addunt Mediam, Perſiam, Caramaniam, Hircaniam, Bactrianiam, Æthiopiam, & Indiam (*b*). An autem Thomas ad veros Indos, Æthiopeſque, uti a nobis appellantur, penetraverit, dubitant nonnulli, quod id nominis ab Antiquis tributum fuerit cuicumque provinciæ extra fines Romani Imperii ex parte Orientali & Meridionali conſtitutæ. Refertur tamen, apud Indos, præcipue in Peninſula cis Gangem, occurrere Chriſtianos, qui S. Thomæ dicuntur, utpote qui ab eo ſe inſtitutos credant. His, ex veteri traditione, cum in Idololatriam relapſi fuiſſent, ſucceſſu temporis a quodam viro *Mar-Thoma*, ſive, *Domino Thoma*, aliiſque ex Syria & Ægypto progreſſis, extinctum jam Evangelii lumen iterum excitatum fuit. Theodoretus ſane tradit, quemdam Thomam Manichæum ſuos errores Indis propinaſſe (*c*). An unus idemque Thomas? Ambigimus, ex eo potiſſimum, quod Chriſtiani S. Thomæ appellati, Neſtorianiſmo potius, quam Manichæiſmo laborare dicantur. *Quo S. Thomas Evangeliũ provexerit?*

II. Nonnulli, præeunte Breviario Syriaco, S. Thomam ad Sinas uſque pervaſiſſe docent *An Sinenſibus S. Thomas prædicaverit?*

(*a*) Joan. xxi. 1. V. S. *Thomas*.

(*b*) Vide Gotti de S. Thoma §. 2. & Calm. Dict.

(*c*) Theodoret. Hæret. l. 1. c. 26.

cent (*a*). Eadem ſuadet celeberrimum duorum Arabum Mahumetanorum Itinerarium, ubi habetur, illos pertranſiſſe apud Sinas *Bezomnam*, id eſt Eccleſiam S. Thomæ. Notitiam Religionis Chriſtianæ vetuſtiſſimam eſſe apud eam gentem, negare non poſſumus, quidquid in contrarium teſtetur P. Couplet. Quædam enim inſcriptio detecta anno 1628. in Urbe Siganfu, Provinciæ Kenſi Metropoli, præcipuá noſtræ Religionis myſteria continet. Sculpta autem fuit anno Græcorum 1092. qui congruit anno Chriſti 780. narratque, anno 134. ante exaratum illud monumentum virum quemdam ſanctum, nomine Olopuen, vel Lopuen, cæruleis vectum nubibus, & ventorum regulam obſervantem, e *Tacin*, vel e Syria, ſive ex Judæa, ad Sinas, Religionem Chriſtianam annuntiaturum, veniſſe. Sed hæc nihil minus valent, quam ad aſtruendam prædicationem Sinenſem S. Thomæ, cum ea referant, quæ 600. anno poſt Apoſtolum contigere.

*Res a S. Thoma geſtæ, & ipſius Martyrium.*

III. Nullo ſatis recepto monumento de rebus a S. Thoma geſtis inſtruimur. Auctor Operis Imperfecti narrat, veniſſe illum in Magorum regionem, qui Salvatoris incunabula adoravere, quos Baptiſmo initiatos prædicando Evangelium addixit (*b*). Referebant Manichæi, S. Thomam acceptum ab homine quodam colaphum maledictione rependiſſe; quæ ſtatim irruentem in percuſſorem leonem induxit

xit

(*a*) Tom. 2. Comm. illuſtr. Synopſium, Kircher. Sina

(*b*) Hom. 2. in Matth.

xit (*a*). Clemens Alexandrinus ex Heracleone Hæretico Valentino immunem illum a Martyrio obiiſſe narrat (*b*). Ceteri autem omnes contraria teſtantur. Locus Martyrii Calamina in India deſignatur (*c*). Hanc urbem cum Maliapur, vulgo *San Tome*, Recentiores confundunt, præſertim Luſitani, moti ex quadam antiqua inſcriptione, & effigie ibi reperta, nimirum ejuſdem Apoſtoli ad pedem crucis lancea transfixi (*d*).

*S.Thomæ Corpus transfertur.*

IV. S. Thomæ Corpus translatum fuiſſe Edeſſam in Meſopotamia, ex Veterum teſtimonio certum eſt (*e*). Hinc aliqui ſibi ſuadere non poſſunt, Maliapur modo, fuiſſe olim Calaminam, & quidem in India, arbitrantes, fuiſſe potius Calamonam in Arabia; unde translatio Edeſſam facilis erat. Ajunt denique, Edeſſa deſtructa Corpus Apoſtoli aſportatum fuiſſe in Inſulam Chium, & inde Orthonam in Apulia. Sunt tamen & aliæ Urbes, quæ ejus Reliquias ſe habere dicunt, nempe Goa in India, Conſtantinopolis, Nola, Brixia.

*Apocrypha S.Thomæ attributa.*

V. Plures ſub ejus Apoſtoli nomine apocryphi Libri prodiere, uti *Acta*, *Itineraria*, *Evangelium*, *Apocalypſis*. Acta collatum a S. Thoma Baptiſmum non aqua, ſed oleo narrant; quod inter Manichæos uſu receptum fuiſſe, alii affirmant, alii negant. Apud Abdiam ex

Li-

(*a*) Aug. l. 1. c. 20. de Sermo Dom. in Mon. & alibi.

(*b*) Strom. l. 4.

(*c*) Martyrol. Rom. Venant. alii.

Sophron. c. 9.

(*d*) Oſor. Silvenſ. apud Baron. an. 57. n. 113.

(*e*) Chryſoſt. Rufin.

*Duo tantum Jacobi agnoſcendi.*

VII. Non rari, præſertim ex Græcis, tres Jacobos diſtinguunt, ſcilicet Jacobum Majorem filium Zebedæi, Jacobum Minorem filium Alphæi, & Jacobum fratrem Domini, quem e numero duodecim Apoſtolorum excludunt. Verum ſententia magis probata duos tantum agnoſcit, minimeque Jacobum Alphæi a Jacobo fratre Domini diſtinguens, ipſum inter Apoſtolos recenſet (*a*). Joſephus enim, Jacobi Juſti, tamquam Fratris Jeſu Chriſti, meminit (*b*); Jacobus autem Domini Frater, alius utique non fuit a Jacobo Minori, quem & Paulus Apoſtolum appellat (*c*): *Alium Apoſtolorum neminem vidi, niſi Jacobum Fratrem Domini*. Porro Alphæus ex communi ſententia idem eſt ac Cleophas. De Jacobo Majore ſat actum eſt.

*Quomodo Jacobus Minor Domini frater fuerit?*

VIII. Cur Jacobus Minor Frater Jeſu Chriſti dictus fuerit, varii varia ſcripſere. Non moror hæreſim Helvidii, volentis, Jacobum eſſe Filium B. Mariæ, quem, poſt editum Salvatorem, ex Joſepho ſuſceperit. Alii putant ipſum fuiſſe Joſephi filium ex priori conjuge, quam ante B. Virginem duxerit. Sunt qui teneant, Matrem Jacobi fuiſſe B. Virginis ſororem, & S. Annæ filiam, quam non ex Joachimo, ſed ex alio viro genuerit; juxta quos Jacobus fuiſſet Jeſu Chriſti frater conſobrinus. Verum iſtæ ſententiæ rejiciuntur (*d*).

He-

(*a*) Gotti de S. Jacobo Minori §. 1.

(*b*) Antiq. l. 20. c. 8.

(*c*) Vide hanc Hiſtor. l. 11. c. 1. n. 14. & l. 16. c. 3. n. 4.

(*d*) Galat. 1. 19.

Hegeſippus vult, Cleopham fuiſſe S. Joſephi fratrem (*a*); quare in hominum æſtimatione Jacobus erat Chriſti frater patruelis. Fratris prærogativam nonnulli repetunt ex effigie, moribuſque, quibus Jacobus Jeſum exprimebat (*b*); quæ opinio nimis quæſita reputaretur. Ultima ſententia, quæ & verior judicatur, Fratrum & Sororum nomine in divinis Scripturis ſæpe cognatos, & propinquos, quæcumque fuerit eorum neceſſitudo, interpretatur.

*Jacobus Hieroſolymorum Epiſcopus.*

IX. Jacobo Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam apparuit (*c*); idem verſabatur Hieroſolymis, ibique tamquam Eccleſiæ columna habebatur, cum S. Paulus eo poſt converſionem ſuam primo acceſſit (*d*); ac tandem ſuam ſententiam dixit in Concilio Hieroſolymitano, quam omnes comprobarunt (*e*). Præter hæc, quæ certiſſima ſunt, certum etiam eſt, ipſum fuiſſe primum Hieroſolymorum Epiſcopum, cum ea de re tota Antiquitas teſtimonium ferat. Utrum vero immediate a Chriſto (*f*), an potius ab Apoſtolis (*g*), tale munus ei delatum fuerit diſputatur; quæ quidem diſputatio conciliaretur, ſi reputaremus, Apoſtolos externa quadam cæremonia ſeu ritu, deſignationi a Chriſto factæ acceſſiſſe. Sic tamen Jacobus Eccleſiam Hieroſolymitanam regendam ſuſcepit, ut Apoſtolos ibi degentes ſocios haberet, non ſubditos (*h*).

X.

(*a*) Origen. Epiphan. Nyſſen.
(*b*) Euſeb. l. 3. c. 11.
(*c*) 1. Cor. xv. 7.
(*d*) Galat. I. 18.
(*e*) Act. xv. 12.
(*f*) Chryſoſt. Hieron.
(*g*) Euſeb. l. 2. c. 23.
(*h*) Hegeſip. apud Euſeb. ibid.

X. Religioſæ atque caſtiſſimæ vitæ merito, elogio *Juſti* donatus eſt; cumque multum apud Deum poſſe exiſtimaretur, *Obila*, ſive *Oblias*, aut *Ophilia* appellabatur (*a*), ſcilicet præſidium, ſive arx populi. Leges Nazaræatus ſervavit, caput intonſum jugiter geſtans; nihil in cibum adhibuit quod vitam habuerit; balneorum, ſandalium, veſtiumque lanearum uſum omnino reſpuit, ſola tunica & pallio ex lino contentus. Cum oraret, adeo crebro in terram proſternebatur, ut frons & genua camelorum inſtar obduruerint. Precum vi tempore ſiccitatis pluvias obtinuit. Quin Judæi ipſi certatim ad illum confluebant, ut veſtimenti ejus fimbriam attingerent (*b*). In Talmud plura referuntur miracula per Jacobum Diſcipulum Jeſu fabri lignarii; inter quæ illud occurrit de Judæo quodam Eligazar (*c*). Cum Apoſtolus accitus ad illum veniſſet, ſerpentis morſu laborantem, ne languens invocato Chriſti nomine ad ſanitatem revocaretur, Rabbinus quidam obſtabat. Cum tempus deliberando inſumeretur, Eligazar extinctus eſt, Judæis obduratis plaudentibus, quippe qui ægri mortem, quam ſanitatem Chriſti nomine procuratam malebant (*d*).

*Jacobi ſanctimonia.*

XI. Epiſcopatus inſigne quamdam auream laminam Dei nomine inſcriptam, ſummi Sacerdotis Judæorum inſtar, Jacobum geſtaſſe ſe-

*Ingreſſus in Sanctuarium Jacobo permiſſus.*

(*a*) Euſeb. ibid. Phot. Cod. 222.

(*b*) Hieron. in Galat. v. 1. 19.

(*c*) Baron. an. 63. n. 8.

(*d*) Vide Calm. Dict. *S. Jacobus Minor*.

utilem ſane operam daturum, ſi ab ea perſuaſione ipſum revocaret. Quare in Templi pinna virum conſtituunt, ut facilius a populo, undique ad Feſtum Paſchæ confluente, exaudiri poſſet. Stantes igitur in inferioribus exclamarunt: Dic, Juſte, quid de Jeſu Crucifixo credamus. Quibus ille elata voce reſpondit: Jeſus ille filius hominis, de quo me interrogatis, modo tamquam Filius Dei aſſidet dexteræ ſupremæ Majeſtatis, ac tandem nubibus vectus, venturus eſt. His auditis plures Deum glorificantes, clamarunt: Hoſanna. Scribæ vero & Phariſæi ingeminarunt: O! O! ipſe etiam Juſtus erravit. Inde ad locum aſcendentes, e faſtigio præcipitem egerunt. Ille ex lapſu adhuc ſuperſtes, genibus flexis pro inimicis oravit; donec lapidibus juſſu Anani contuſus (*a*), ac tandem fullonis fuſte capite confracto (*b*), animam eflavit. Sepulturæ mandatus eſt juxta Templum, eodem in loco ubi martyrium conſummavit. Hanc necem ampliſſimi quique Judæorum improbantes graviſſimas contra Ananum querelas ad Agrippam Regem, & ad Albinum detulerunt. Et Albinus quidem, datis ad Ananum literis, pœnas de illius audacia expetiturum minitatus eſt. Agrippa vero poſt tres menſes ab inita dignitate, ſummo Sacerdotio ipſum amovit, ſubſtituto Jeſu Damnæi filio. Teſte Joſepho, Judæi omnia mala, quæ per Romanos ſibi



(*a*) Joſeph. Antiq. l. 20. c. 8. Epiphan. Hieron. ſeb. l. 2. c. 23. Clem. Alex.

(*b*) Hegeſip. apud Eu-

allata fuere, huic neci ulciſcendæ cælitus permiſſa credebant (*a*). Cum tamen hoc Joſephi teſtimonium in noſtris Codicibus non extet, putari debet vel illius verba fuiſſe abraſa, vel ad Joſepho ſcripta in alio Opere, quod evanuerit. De anno, quo Jacobus obiit, non convenit, aliis 62. aliis 63. aliis 65. præferentibus. Ejus Reliquiæ Compoſtellæ, Anconæ, in Urbe dicta *Tres Mariæ* in Provincia, & Romæ cuſtodiri dicuntur.

*Epiſtola Catholica a Jacobo ſcripta.*

XIII. Jacobi Fratris Domini nomine nonnulli Libri circumferuntur, nempe *Proto-Evangelium*, rejectum a Gelaſio, quod adhuc legunt Orientales, & *Liturgia*, quam quidam Eruditi, vel ei omnino affictam, uti Proto-Evangelium, vel temporum ſucceſſu plurimum vitiatam eſſe contendunt. Præter hæc, extat Epiſtola Catholica, de qua licet olim dubitatum fuerit, & modo etiam dubitent nonnulli, an hujus Apoſtoli fetus ſit, unanimis tamen Eccleſiæ conſenſus eam in ſacrarum Scripturarum Canonem recipit, & S. Jacobo Minori adſcribit. Qui Jacobo Majori eamdem deputant, arbitrantur, Jacobum, nuntiato in Hiſpania Evangelio, & Hieroſolymam reverſum, hanc ad Hiſpanos dediſſe Epiſtolam. Verum ſcriptas ad Galatas & ad Romanos Epiſtolas, ad quas Jacobi Epiſtola alludit, in iis ſcilicet, quibus Fideles judaizantes erudit, & eorum vitia arguit, nondum dederat Paulus, cum Jacobus Major capite abſciſſo obiit. Alii Jaco-

(*a*) Euſeb. ibid. Hieron. contr. Jovinian. l. 1. Origen. contr. Celſ. l. 1.

Jacobo juſto Hieroſolymorum Epiſcopo attribuunt, rati, ipſum alium eſſe a Jacobo Fratre Domini; quod ſupra impugnatum eſt.

XIII. Idcirco autem dicta eſt Catholica, hoc eſt univerſalis, quod non uni Eccleſiæ, ſed omnibus ſcripta fuerit Fidelibus, vel iis ſaltem qui ex Judæis ad fidem acceſſerant, & in omnes fere Mundi regiones ſe ſe effuderant. Porro ſeptem recenſentur Epiſtolæ Catholicæ, quæ etiam Canonicæ dicuntur, cum iis regulæ tradantur, ad quas mores componere debemus. In noſtris Bibliis primum locum tenet hæc unica Jacobi Epiſtola, deinde geminæ Petri, poſtea tres Joannis, demum unica Judæ; qui tamen ordo non ſemper ſervatus eſt. *Quot ſint Epiſtolæ Catholicæ.*

XIV. Bonorum operum neceſſitatem in ſua Epiſtola adſtruit Jacobus adverſus pravam quorumdam interpretationem, qui dicto Pauli, hominem fide, non operibus Legis juſtificari, abutebantur. Nam Apoſtolus id tantum docere voluit, exterioribus operibus, ſervatiſque Legis ritibus, non poſſe nos juſtos effici, niſi iis Fides in Chriſtum Jeſum addatur: fides, inquam, quæ caritatis opera exerceat (*a*). Illi vero dicebant, caritatis opera non eſſe ad ſalutem neceſſaria, unamque fidem ſufficere. Jacobus ergo Pauli doctrinam confirmans, omni procul ambage dixit: *Fides ſine operibus mortua eſt* (*b*). *Præcipuũ Epiſtolæ Jacobi argumentũ.*

XV. Eccleſia promulgatum credit a Jacobo Sacramentum Extremæ Unctionis, ubi ait: *In-* *Extrema Unctio.*

S 2 *fir-*

(*a*) Galat. v.6. Rom. XI.13. & I.Cor.XIII.1.2.3.

(*b*) Jacob.I.22.II.8.26.

*firmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum, ungentes eum in nomine Domini. Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei* (*a*). Hæretici bene multi contendunt, Unctionem hanc non eſſe ſacramentalem, ſed medicam, nec aliam ab ea qua Apoſtoli Chriſto adhuc in vivis agente infirmos curabant, ut narrat S. Marcus (*b*); quæ quidem unctio ceſſare deberet poſtquam ſanationis donum, una cum aliis linguarum, prophetiæ &c. in Eccleſia deſiiſſet. Sed hæc perperam ſane dicuntur. Primo enim Jacobus loquitur de ſolis ægrotis Fidelibus; miraculorum autem gratia potius pro infidelibus ad fidem convertendis collata fuit (*c*); qualis erat unctio illa apud Marcum. II. Donum curationis non pro ſolis ægrotantibus, ſed etiam pro cæcis, mutis, ſurdis, aliiſque quocumque impedimento affectis inſerviebat. Jacobus autem loquitur de ſolis ægrotis. III. Unctio, de qua Apoſtolus, peccatorum remiſſionem ſpectat, minime vero altera. IV. Gratia ſanitatis non ſolis Presbyteris conferebatur, neque his omnibus; nam ex Apoſtolo *aliis* dabatur *gratia ſanitatum*, *aliis prophetia*, *aliis diſcretio ſpirituum &c.* (*d*). Jacobus autem vocandos vult, non eos qui gratia ſanitatum pollerent, ſed abſolute Presbyteros Eccleſiæ; quæ quidem ratio valet, etiamſi nomine Presbyterorum non veni-

(*a*) Jacob. v. 14. Trident. Seſſ. 24. c. 1.
(*b*) Marc. v. 13.
(*c*) 1. Cor. xiv. 22.
(*d*) 1. Cor. xii. 9.

nirent Epiſcopi, aut Sacerdotes, ſed ætate, aut dignitate ſeniores, ut falſo interpretantur Heterodoxi. Singularis eſt Seldeni ſententia, putantis, Jacobum non agere de Unctione ſacramentali, aut medica, ſed de vocandis Preſbyteris, ut oculos mortuorum, infuſo oleo de Rabbinorum more, claudant, ſive ut cadavera condiant, antequam in feretrum inferantur. Eorum autem precibus fiet, addit, ut vita defunctis reddatur, & ſi qua peccata adhuc expianda ſint, Deus illis dimittat (*a*). Hanc opinionem retuliſſe, confutaſſe eſt.

*De SS. Apoſtolis Philippo, Bartholomæo, Matthæo, Simone, Juda, ſive Thaddæo, & Matthia, & de SS. Evangeliſtis Marco, & Luca.*

## C A P. VII.

I. S. Philippus Apoſtolus, oriundus Bethſaida, in Galilæa, invitatus a Chriſto, ipſum ſequutus eſt; quin paulo poſt, Nathanaelem nactus, ei Meſſiam e Nazareth prodiiſſe nuntiavit (*b*). Clemens Alexandrinus tradit, Philippum fuiſſe cui Chriſtus dixit: *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos* (*c*). Verum ſi hæc ſibi conſtarent, S. Joannem, qui vocationem Philippi ſedulo deſcribit, eam rem numquam præteriiſſet. Cum Jeſus turbæ 5000. hominum alimenta parare ſtatuiſſet, quæſivit

*Evangelium ſæpius de S. Philippo Apoſtolo loquitur.*



(*a*) Selden. l. 2. de Synedr. c. 8. n. 11 12. 13.
(*b*) Joan. I. 43.
(*c*) Matth. VIII. 21. Clem. Alex. Strom. l. 3.

ab illo, undenam tantum panis comparari poſſet quod ingenti illi numero ſufficeret (*a*). Quidam ex Ethnicis intueri Jeſum cupientes, Philippum adivere (*b*). In ultima cœna Philippus Jeſum rogavit, ut ſibi ſociiſque Patrem oſtenderet; cui Magiſter: *Qui videt me, videt & Patrem meum* (*c*). Nil ultra in Evangelio de Philippo quæras.

*Utrum Philipus uxorem duxerit?*

II. An Philippus uxorem ante Apoſtolatum habuerit, & filias, quæſtio ſatis implicata eſt. Veteres ſane nonnulli aſſerunt (*d*); ſed qui negantem ſententiam tuentur, ajunt Philippum Apoſtolum cum Philippo, uno e ſeptem Diaconis, cui quatuor erant filiæ (*e*), confuſum fuiſse (*f*). Notandum tamen, quod qui Apoſtolo filias tribuunt, alii tres, alii quatuor, alii ſeptem numerant.

*S. Philippi prædicatio & martyriũ.*

III. Philippo obtigiſſe in Orbis partitione Aſiam ſuperiorem, Scythiam, & Galliam, tradunt nonnulli. De Gallia tamen plures dubitant, Galatiam præferentes (*g*). Ipſum Hierapoli in Phrygia Pacatiana obiiſse, certum eſt (*h*). Communior etiam ſententia Martyrii gloriam illi non invidet, fertque, eum cruci affixum, lapidibus fuiſse confectum. S. Philippo Apoſtolo ſuppoſita fuerunt *Acta*, & *Evangelium* (*i*).

IV.

(*a*) Joan. VI. 5.
(*b*) Joan. XII. 20.
(*c*) Joan. XIV. 8.
(*d*) Euſeb. l. 3. c. 31. Clem. Alex. ibid.
(*e*) Act. XXI. 9.
(*f*) Gotti de S. Philippo Apoſtolo §. 2.
(*g*) Baron. & Gotti.
(*h*) Euſeb. l. 3. c. 31.
(*i*) Epiph. hæreſ. 26. c. 13. Bolland. ad 1. Maji.

IV. De S. Bartholomæo Apoſtolo nil peculiare in Evangelio, niſi unum eumdemque ipſum putes cum Nathanaele, quod pluribus viſum eſt. Ad Licaonas, Albanos, Indos, Æthiopeſque Evangelium detuliſse, quidam tradunt. Sunt etiam qui doceant, ipſum prædicaſse in Arabia Felice, & in Perſia. Forte Indiarum nomine hæ regiones intelliguntur. Fertur, obiiſse Albani, ſeu Albanopoli, in Armeniæ finibus ad Mare Caſpium ſita, necem inferente Aſtyage, in rabiem acto, quod fratrem ſuum Polemonem, Armeniæ Regem, ad Chriſtum reduxiſset. Alii ipſum crucifixum ſcribunt, alii decollatum, alii excoriatum; quæ tamen omnia vera eſse poſsunt, ſi putes Apoſtolum primo fuiſse crucifixum, deinde excoriatum, ac tandem decollatum. Pantænus Philoſophus Chriſtianus, qui floruit altero labente Eccleſiæ ſæculo, cum apud Indos verſaretur, Evangelium S. Matthæi hebraice ſcriptum, illuc, uti ferebatur, a S. Bartholomæo delatum, invenit (*a*). Olim huic Apoſtolo falſum quoddam Evangelium adſcriptum fuit. *S. Bartholomæi acta.*

V. Corpus S. Bartholomæi fuiſſe Daram, urbem in finibus Perſidis, translatum, ſcribit Theodorus Lector. Alteram translationem ad Liparim Inſulam referunt plures Auctores (*b*). Tertiam ex Inſula Liparitana Beneventum circa annum 840. apud Sigebertum & Leonem Oſtien- *Corporis S. Bartholomæi translatio.*



(*a*) Euſeb. l. 5. c. 10. Menolog. Baſil. Gregor. Turon. Theodorus Studita. Hieron. de Script. c. 36.
(*b*) Martyrol. Rom. Vide Gotti de S. Barthol.

Oſtienſem invenias. Quarta denique extat apud Othonem Friſingenſem, qui Oſſa Apoſtoli ab Othone Imperatore in pœnam Benevento erepta, & Romam delata, teſtatur. Diſputatur autem, an Imperator iſte fuerit Otho ſecundus, vel tertius. In tertium inclinat Baronius, qui translationem hanc anno 1000. conſignat. Majoris diſſidii cauſam ſufficit laudatus Leo Oſtienſis, narrans, Beneventanos non audentes obſiſtere Imperatoris poſtulationibus, callide pro Corpore S. Bartholomæi, B. Paulini Epiſcopi Nolani Corpus ſuppoſuiſſe (*a*). Baronius tamen hæc falſitatis arguit, tueturque, in Eccleſia olim S. Adalberti, modo S. Bartholomæi, in Inſula Tiberina, una cum Corpore S. Paulini Corpus etiam ejuſdem Apoſtoli cuſtodiri; cui Benedictus XIII. dum adhuc eſſet Archiepiſcopus Beneventatus, edita diſſertatione, totis viribus repugnavit. Feſtum hujus Apoſtoli celebratur die 24. Auguſti; Romæ tamen ſequenti die colitur, forte quod hac die putatur ejus Corpus Romam Benevento delatum.

*Quæ de S. Matthæo habet Evangelium.*

VI. S. Matthæus patria fuit Galilæus, religione Judæus, & profeſſione Publicanus. Publicanum egiſſe, ceteri Evangeliſtæ non exprimunt, & *Levim Alphæi* tantummodo ipſum appellant (*b*), quod ſcilicet inviſum eſſet apud Judæos Publicanorum nomen & munus. Romanis duo erant Publicanorum genera. Alterum eorum qui per certos a ſe commiſſos viros

(*a*) Luc. v. 27. Marc. II. 14.

(*b*) Marc. II. 14. Luc. v. 27.

ros vectigalia exigerent, ipſi vero rationem accepti apud Imperatorem redderent: & hoc munus honeſtum habebatur. Alterum eorum qui ab illis ad hoc exequendum conſtituti erant; & hi omnes, veluti publici prædones, execrabantur. S. Matthæus nil ſibi cavendum duxit, ſed nomen ſuum & exercitium palam prodidit, quo beneficium a Jeſu Chriſto acceptum, ſcilicet Apoſtolatum, magis magiſque commendaret. Capharnau verſans, telonium ſuum habebat extra urbem poſitum, in littore Maris Tiberiadis; qua tranſiens Jeſus illum ad ſe vocavit (*a*). Cognomen *Alphæi*, ſive Filii Alphæi, ſuſpicionem movit nonnullis, fratrem habuiſſe S. Jacobum Minorem, qui & ipſe filius Alphæi dicitur (*b*). Alii ex duplici nomine, Matthæo, & Levi, duos invehunt viros, Levim nempe telonii Præfectum, Matthæum vero ipſius miniſtrum (*c*), addentes, Chriſtum convivio exceptum fuiſſe non in Matthæi domo, ſed Levi. Verum conjecturæ, quæ iis probandis adducuntur, tantæ non ſunt, ut contrariam opinionem in Eccleſia ſatis receptam frangere poſſint; quaſi gemini Alphæi tunc in Judæa eſſe non potuerint, aut idem vir non potuerit eſſe binomius.

*Prædicatio & Martyriū S. Matthæi.*

VII. Solis oleribus, & leguminibus S. Matthæum victitaſſe, omni interdicto carnium eſu, fert Clemens Alexandrinus (*d*). Rufinus, & Socrates, aliique nonnulli tradunt, Apoſtolum in

(*a*) Matth. ix. 10.
(*b*) Chryſoſt. Theodoret. Vide Bolland. 21. Maji.
(*c*) Clem. Alex. Grot. Gleric.
(*d*) Pædag l. 2. c. 1.

in Æthiopia Evangelium prædicaſſe; in Perſide, ſive apud Parthos, S. Ambroſius, S. Paulinus, aliique. Cum vero apud Veteres non raro Æthiopiæ nomen latiſſimo ſenſu uſurparetur, deſignatam facile crederemus eo nomine Provinciam aliquam Regni Parthorum; atque ita nullo negotio utraque hæc ſententia conciliatur. Quidam morbo, non Martyrio, S. Matthæum obiiſſe volunt. Sed communiori ſententia, maxime apud Latinos, fertur, ipſum violenta morte pro Chriſto ſublatum fuiſſe. Scribit Nicephorus, Apoſtolum ignem precibus primum extinxiſſe, ab eo tamen iterum excitato abſumptum. Ejus martyrii hiſtoriam ita Pſeudo-Abdias deſcribit. Cum Hirtacus Rex Æthiopiæ, frater & ſucceſſor Philippi, unice deperiret Iphigeniam fratris ſui filiam, illam virginitatem ſuam Deo per votum conſecraſſe intellexit; quod votum negligere nefas eſſe docebat Apoſtolus. Quare incenſus in illum Rex, miſſis ſatellitibus obtruncari juſſit; nec in feminam mitior, ignem in domum illius injiciendum præcepit. Verum flante divinitus vento, flammæ e domo Iphigeniæ remotæ, in ædes Hirtaci delatæ, eas ſtatim abſumpſerunt. De Martyrii tempore nil traditum eſt. Ejus Corpus ad diverſas regiones, & tandem Salernum tanslatum eſt. De illius Evangelio nihil ſupereſt dicendum (*a*).

*Simon Apoſtolus.* VIII. Simon Apoſtolus in Evangelio vocatur Chananæus, & Zelotes. Utrum autem primum viri cognomen ex urbe Cana in Galilæa, an a ver-

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 14. c. 6. n. 3.

verbo *Kana*, nempe *zelotem eſſe*, derivandum ſit, ambigitur. De altero etiam agnomine diſputatur: quidam enim ex ſtudio in Jeſum Chriſtum, quidam ex Secta Zelotarum derivant (*a*). Verum cum hæc Secta quatuor, aut quinque annis ante Hieroſolymorum excidium eo nomine eruperit, cujus etiam magna ex parte in cauſa fuit (*b*), non potuit illud agnomen Simoni communicare. De Simone Veteres omnino ſilent. Si Scriptores medii ævi, & Græcos conſulas, Simon Mauritaniam, Africam, Lybiam, Ægyptum prædicatione obivit, & in Britannia crucem paſſus eſt. Latini tamen de prædicationis locis, excepta Britannia, cum Græcis convenientes, malunt, ipſum in Perſide Martyrium ſuſtinuiſſe. Nonnulli Simonem cum Nathanaele confundunt, alii cum Simeone, qui Jacobo Minori in Epiſcopatu Hieroſolymitano ſucceſſit, alii cum Sponſo Canæ Galilææ. Sed hæc ſolidis carent argumentis (*c*).

*S. Judas, ſive Thaddæus.*

IX. Judas cognomento Thaddæus, ſive Labbæus, quod interpretatur Cordatus, vel Sapiens, interdum Frater Domini dicitur (*d*), hoc eſt conſanguineus, vel cognatus. Hinc pluribus Judas eſt S. Jacobi Minoris frater germanus. Judas ex nonnullorum ſententia uxorem & filios habuit. Narrat ſane Euſebius ex Hegeſippo, quoſdam Judæ poſteros & nepotes,

(*a*) Hamm. Grot. Ligtfoot.

(*b*) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 1.

(*c*) Gotti de S. Simone §. unico.

(*d*) Matth. XII. 25.

tes, cum liberi evaſiſſent imperante Domitiano, qui reliquias Davidicæ ſtirpis exquiri juſſerat, tandem ſub Trajano Martyres obiiſſe. Verum poſteri & nepotes alicujus dici poſſunt, qui ex eadem familia deſcendunt, licet ab eo per generationem non proceſſerint. In ultima cœna Judas a Jeſu Chriſto quæſivit, quare ſe Apoſtolis, & non Mundo vellet manifeſtare. Poſt Aſcenſionem, teſte Hieronymo (*a*), ad Abagarum miſſus fuit; ſed ex aliis diſcimus, legationem illam, non a Thaddæo Apoſtolo, ſed a Thaddæo, uno ex 70. Diſcipulis, fuiſſe peractam. Martyrologium Romanum tradit, Judam, poſtquam Meſopotamiam Evangelio peragraſſet, in Perſide una cum S. Simone Chananæo Martyrium conſummaſſe. Ad Lybiæ populos conciones habuiſſe, ibique quieviſſe, refert S. Paulinus (*b*). Juxta Græcos recentiores, Judæa, Samaria, Syria, Armenia, Meſopotamia, Arabia, Idumæa eum audiverunt (*c*). Moſcovitæ credunt, ſe ab ipſo Evangelium accepiſſe. Græcorum Menologia tradunt, Apoſtolum in Urbe Arat, ſive Artinopoli in crucem actum, teliſque confoſſum e vivis exceſſiſſe. Quænam ſit illa Urbs ignoratur, niſi eadem ac Artaxate Armeniæ credatur. Ararat Armeniæ mons celebris eſt. Armeni ſane apud ſe eſſe Corpus S. Judæ contendunt, quamvis illius exuvias, ſicut & S. Simonis, in Baſilica Vaticana cuſtodiri, doceamur.

X.

(*a*) Hieron. in Matth. x. Vide hanc Hiſt. l. 16. c. 6. n. 6.

(*b*) Carm. 26. modo 27.

(*c*) Nicephor. l. 2. c. 4.

X. Ejus Canonica Epiſtola extat, quæ Judæis ad Fidem converſis, & in Orientis provinciis verſantibus, ſcripta videtur. Eos autem admonet ut a falſis Doctoribus caveant, nempe a Simonianis, & Nicolaitis, qui Gnoſtici deinde appellati ſunt. Apoſtolos velut diu ante peremptos memorat, alluditque non raro ad Petri & Pauli Epiſtolas; quare vel circa Hieroſolymorum excidium, vel etiam poſt, non immerito ſcripta cenſeretur. An Canonica fuerit, idcirco aliquanto dubitatum eſt, quod Judas in ea quamdam Henochi prophetiam, & nonnulla de Moyſis cadavere referat, quæ in Veteris Teſtamenti Libris fruſtra quærerentur; quare a quibuſdam apocryphis operibus, quæ *Henochi Liber*, & *Moyſis Aſſumptio* inſcribuntur, deſumpta credebantur. At Judas aliunde ea retulit, ſeu Spiritu ſancto docente ex illis operibus vera a falſis ſecernere valuit (*a*). Hinc dubium omne ſublatum eſt, & Eccleſia hanc Epiſtolam inter Canonicas recenſuit. Putavit Grotius, eam Epiſtolam minime Judæ Apoſtolo eſſe tribuendam, ſed alteri Judæ, qui Hieroſolymæ Epiſcopatum Adriano imperante adminiſtravit; quare verba illa, *frater autem Jacobi*, quæ Epiſtolæ præferuntur, ab amanuenſibus addita credidit. Sed hujus additionis nullum profert argumentum. Alioquin ea verba in omnibus tam vetuſtioribus, quam recentioribus Exemplaribus leguntur. Lutherus, aliique nonnulli ex Heterodoxis, nullo ſatis valido argumento ful-

*S. Judæ Epiſtola.*

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l.1.c.7.n.11.& l.4.c.14.n.2.3.

fulti, Epiſtolam illam rejiciunt. Ferebatur olim quoddam *Evangelium*, nomine Judæ Apoſtoli perſonatum, quod Gelaſius proſcripſit.

*S. Matthias Apoſtolus.*

XI. S. Matthias poſt Domini Aſcenſionem Judæ Iſcarioti in Apoſtolatum ſubrogatus eſt. Clemens Alexandrinus, S. Matthiam cum Zacchæo Publicanorum Principe confundit (*a*); ſed Zacchæus paulo ante Paſſionem Chriſto adhæſit, Matthias vero diu antea, nempe cum Joannes Baptiſta aqua populum adhuc tingeret (*b*). Alii eum prædicaſſe in Judæa volunt, alii in Colchide, alii in Æthiopia. De loco, & genere mortis pariter dubitatur. Quidam Monachus S. Matthiæ Trevirenſis sæculo duodecimo vitam Apoſtoli vulgavit, ex originali Hebræo ſibi a Judæo quodam communicato, atque vernaculo ſermone explicato. Ibi narratur, S. Matthiam agente eodem Anano, cujus opera S. Jacobus Minor occubuit, capitali ſententia damnatum, lapidibus primum oppreſſum, gladio deinde truncatum fuiſſe (*c*). Optandum eſſet ut hæc hiſtoria a puriori & antiquiori fonte manaſſet. Ex Dionyſii tamen Areopagitæ Libris, Apoſtolum in Judæa Martyrem obiiſſe, docemur (*d*). Ejus Corpus Romæ in Baſilica S. Mariæ Majoris cuſtodiri fertur, licet Abbatia S. Matthiæ juxta Treverim gloriam hanc ſibi aſſumat, & Bollandus dubitet, an Corpus, quod Romæ aſſervatur, potius quam Apoſtoli, ſit Matthiæ, qui Epiſcopum Hieroſolymæ circa annum

(*a*) Strom. l. 4.
(*b*) Act. 1. 22. 23.
(*c*) Bolland. 24. Febr.
(*d*) Eccl. Hierarch. c. 5.

num 120. egit. Sub S. Matthiæ nomine quondam *Evangelium* & *Traditiones* occurrebant; quæ quidem opera Eccleſia damnavit. Ex Traditionibus hæc laudantur: *Si Electi vicinus peccaverit, peccavit Electus; nam ſi ſe ita geſſiſſet, ut jubet verbum, ſive ratio, ejus vitam ita eſſet reveritus vicinus, ut non peccaſſet* (*a*).

XII. S. Marcus inter 70. Chriſti Diſcipulos numeratus, antequam Apoſtolo Petro ſe comitem adderet, vulgo creditur, licet Papias, Auguſtinus, Theodoretus, & alii aliter ſentiant. Non deſunt qui Joannem Marcum in Actibus Apoſtolorum & in Epiſtolis Pauli notum, cum Marco Evangeliſta, de quo loquimur, confundant (*b*); quorum tamen ſententia minus probatur. Marcus enim Evangeliſta ex Veterum fide obiit anno Chriſti 62. (*c*); alter vero Marcus in vivis adhuc agebat anno Chriſti 65. vel 66. cum Paulus ſecundam ad Timotheum Epiſtolam daret (*d*). Auctor Anonymus in Acta, e genere Aaronis Marcum Evangeliſtam deducit: narrat pariter, ipſum geſtaſſe *pontificalis apicis petaſum*. Hebræum fuiſſe, ex illius Evangelio, de quo ſuo loco egimus (*e*), proditur, ſiquidem Hebraiſmis potius, quam Græciſmis ſcatet. Quin nonnulli, Petri ex ſorore nepotem conſtituunt (*f*). Petrus ſane vocat Marcum *filium ſuum* (*g*); quibus tamen Apoſtolus facile ſignificare *S. Marcus Evangeliſta.*

(*a*) Clem. Alex. l. 7.
(*b*) Spanhem. Combef. alii.
(*c*) Hieron. Euſeb. Iſidor.
(*d*) Timoth. IV. 11.
(*e*) Vide hanc Hiſtor. l. 14. c. 6. n. 6.
(*f*) Niceph. l. 2. c. 43.
(*g*) 1. Petr. V. 13.

re voluit, Marcum opera ſua ad Fidem converſum fuiſſe, & inter Diſcipulos primas tenere. Interpretem Petri fuiſſe, uno ore omnes fatentur. Græce, ſive latine explicabat quæ Petrus hebraice loquebatur; vel ſaltem dictatas ab eo Epiſtolas cultiore ſtilo excipiebat. S. Marcus Petrum ſequutus, Romam circa annum Chriſti 44. venit. Inde ex plurium Recentiorum teſtimonio (*a*), juſſu Petri Aquilejam progreſſus eſt, ubi, cum Eccleſiam fundaſſet, Evangelium ſuum reliquit, quod deinde Venetias translatum, religioſiſſime noſtra adhuc ætate cuſtoditur. Narrant inſuper, quædam ejuſdem Autographi fruſtula, agente Carolo IV. Imperatore, Pragam delata fuiſſe, ibique pariter aſſervari. Lato per Claudium edicto, Judæi omnes Roma pulſi; eademque occaſione S. Petrum & S. Marcum ſolum vertere coactos, ex Antiquis diſcimus (*b*). Hinc Marcus Petri præcepto parens, in Ægyptum iter direxit, ac primo Cyrenem in Pentapoli veniens, plurimos Baptiſmo initiavit. Inde Alexandriam divertens, Anianum ad Fidem deduxit, quem Epiſcopum ejuſdem Urbis dedicavit. Therapeutas illos, de quibus Philo, primos fuiſſe S. Marci Diſcipulos, plurium ſententia tenet. Secundis Eccleſiæ rebus Ethnici invidentes, in S. Marcum, ceu Numinum everſorem, conjurarunt, quorum ille furorem declinaturus, Cyrenem iterum rediit. Inde Alexandriam reverſus, cum eam Eccleſiam novis

in

(*a*) Bolland. 25. April. Vide & Tillem. de S. Marco.

(*b*) Euſeb. Epiph. Hieron.

in dies acceſſionibus augeri videret, Romam venit (ſi Chronico Alexandrino fides,) adſtititque Petro & Paulo martyrium conſummantibus. Alexandriam cum denuo remeaſſet, tandem ab hoſtibus comprehenſus, alligataque ad collum fune per urbem pertractus, in carcerem detruſus eſt; quem primo Angelus recreavit, nomen ipſius in Libro Vitæ ſcriptum eſſe, manifeſtans; deinde Jeſus Chriſtus, ei pacem nuntians. Iterum autem per vias raptatus eſt, donec animam efflaret. Alii, igne abſumptum fuiſſe, malunt, vel ſaltem defunctum ejus corpus igni permiſſum. Sunt etiam qui dicant, voluiſſe quidem Ethnicos illius exuvias concremare, ſed ſubito irruente vento ab inceptis deſiſtere coactos fuiſſe; quæ, cum diu Alexandriæ jacuiſſent, tandem anno 820. Venetias aſportatæ, magnificentiſſimo Templo conditæ fuere (*a*).

*S. Lucas Evangeliſta.*

XIII. S. Lucas Evangeliſta, qui & *Lucius*, ac *Lucanus*, Patria Antiochenus fuit (*b*). An originem ex Ethnicis traxerit, an ex Judæis, diſputatur. Qui inter duos & ſeptuaginta Diſcipulos Lucam recenſent, Judæum putant, quod Chriſtus exteros non elegerit (*c*). Verum cum ipſemet Lucas teſtetur, Evangelium ſe ſcripſiſſe juxta ea quæ ab aliis accepiſſet (*d*), ex eo numero ſe ſe excludit. Medicum



(*a*) Conſule Bolland. Tillem. Spanhem. Calmi. Hieron. de Script. prolog. in S. Marcum, & Gotti de S. Marco §. 1.

(*b*) Euſeb. l. 3. c. 4.

(*c*) Epiphan. hær. 51.

(*d*) Luc. 1.

egiſſe, certum eſt (*a*); Pictorem etiam, ut multi tradunt (*b*). Ex quadam præterea traditione habemus, Lucam perpetua floruiſſe virginitate (*c*). Paulum utique prædicantem comitatus eſt, eique adhæſit ad mortem uſque: in altera enim ad Timotheum Epiſtola, quam paulo ante martyrium ſcripſit, ab omibus ſe derelictum, uno excepto Luca, Paulus] queſtus eſt: *Lucas eſt mecum ſolus* (*d*). Pluribus annis Apoſtolo ſuperſtitem fuiſſe, traditur. Epiphanio teſte, in Dalmatiam, Galliam, Italiam, & Macedoniam Evangelium intulit; auctore vero Metaphraſte, in Ægypto, Lybia, & Thebaide prædicationi incubuit. Sententia quæ magis obtinet, in pace ipſum quieviſſe tenet. De loco obitus ambigitur, nam alii præferunt Patras in Achaja, alii Bæotiam Thebis, alii Eleam in Peloponeſo, alii Epheſum, alii denique cum Martyrologio Romano Bithyniam. De Lucæ Evangelio, & Actis Apoſtolorum actum eſt (*e*). Præter hæc Opera, Lucæ nonnulli Epiſtolæ Pauli ad Hebræos Verſionem ex Hebræo in Græcum tribuerunt; alii cenſuerunt, in illa Epiſtola ſententias quidem & doctrinam Pauli eſſe, elocutionem vero & phraſim, quæ cultior eſt, Lucæ (*f*). Ipſi pariter a quibuſdam tribuitur *Altercatio Ja-*

(*a*) Coloſſ. IV. 14.

(*b*) Vide hanc Hiſtor. l. 16. c. 3. n. 11.

(*c*) Addit. Hieron. de Script.

(*d*) 2. Timoth. IV. 2.

(*e*) Vide hanc Hiſtor. l. 14. c. 6. n. 6. & l. 15. c. 13. n. 7

(*f*) Euſeb. l. 6. c. 14. 25.

*Jaſonis & Papiſci*, quæ extat apud S. Cyprianum (*a*). Hoc Libro Jaſon ex Judæo Chriſtianus Papiſcum Judæum Alexandrinum aggreditur, perſuadetque, Prophetias de Meſſia revera in Jeſu Chriſto impletas fuiſſe.

(*a*) Edit. Pamel.

TOMI VIII.

AT TOTIUS OPERIS

FINIS.

# INDEX

## *Nonnullorum quibus Hiſtoria utriuſque Teſtamenti illuſtratur.*

Numerus primus Tomum, alii paginam indicant.

### A

*Aron*. In vitulo a ſe conflato Apidem propoſuit. Tom. II. pag. 84. Nonnulli illum excuſant, ſed irrito conatu. 85. III 262. Quam ob culpam prohibitus illi fuerit ingreſſus in terram Promiſſionis. II. 262. Tabula ex eo Mercurium expreſſit. 265.

*Abel*. Cur a Caino occiſus. I. 87. 9.

*Abominatio deſolationis*. Variæ de illa opiniones. VII. 119.

*Abrahamus*. Utrum juvenis idola coluerit? I. 215. Non eſt mentitus, Saram ſororem ſuam prædicans. 229. Unde illi Hebræi nomen, de quo poſteri illius appellati ſunt. 177. An ob Iſaaci filii ſui ſacrificium humanarum victimarum auctor cenſendus ſit. 275. Quid Abrahami ſinus, VII. 52.

*Achaz*. Syſtema Spinoſæ de Achaz horologio improbatur. III. 392.

*Adam*. Hujus nominis etymologia. I. 50. Quid ſit ſimilitudo hominis cum Deo. Ibidem. Adami immortalitas. 57. Adam & Eva ex Rabbinorum ſententia ſimul creati ſunt, & humeris ad invicem juncti. 52. Quodnam illorum crimen, quod ad omnes illorum poſteros derivatum eſt. 73. 78. 80. Ipſorum pœnitentia. 108. Adami juxta Rabbinos magnitudo. 109. Sepultura. 109. 161. *Iſta eſt enim lex Adami, Domine Deus*. Quid his exprimat David? III. 157.

*AEra*.

*Æra*. Æra vulgaris quadriennio Chriſti nativitatem antevertit. VI. 85. Æræ Græcorum initium. IV. 306.

*Agar*. Ex ipſa Agareni, Saraceni, Arabes, Iſmaelitæ. I. 268.

*Alexander* Magnus. An nomen Dei veneratus ſit? IV. 299. Quomodo ſuum Imperium diviſerit. 304.

*America*. Quomodo in eam homines, & animalia translata ſint? I. 150. III. 34.

*S. Andreas*. Quid ſentiendum de illius Actis? VIII. 227.

*Angeli*. Quando creati ſint? I. 59. Gigantes ex illis originem minime ducunt. 126. Veteris teſtamenti viſiones ipſorum miniſterio exhibitæ ſunt. 256. Utrum lex ab illis promulgata fuerit. II. 66.

*Animalia*. Utrum gemina tantum e ſingulis ſpeciebus Deus produxerit. I. 49. Quot ſint eorum ſpecies? 134. Alia munda, alia immunda. 138. II. 213. Quomodo introducta in Arcam Noe? I. 139. An juxta Hebræorum ſenſum prædita ſint ratione? 157.

*Animæ*. Tres de illarum productione ſententiæ. I. 62. Hebræorum circa illas errores. 61. Animæ plene purgatæ ſtatim Dei viſione fruuntur. VIII. 214.

*Annus*. Apud Hebræos 12. conſtabat menſibus. Alter ſacer, civilis alter; alii ſolares, alii lunares. I. I. 105. Hebræus, Græcus, Samaritanus, & Joſephus in annorum ſupputatione variant. I. 98. 209. Annus Romanus a Cæſare reformatur. V. 173.

*Antichriſtus*. Plures de eo agitantur quæſtiones. VIII. 109. 240.

*Apollonius* Tyenæus Chriſto gloriam invidet, eumque in morte minime æmulatur. VIII. 118.

*Apocalypſis*. Varia de illa interpretanda ſyſtemata. VIII. 249.

*Aquæ ſuperiores & inferiores*. Quodnam inter ipſas diſcrimen. I. 45. Aqua educta e ſilice in deſerto prodigioſa fuit. II. 56. Aqua zelotypiæ. II. 228.

*Arca fœderis*. An poſt captivitatem reperta fuerit? Quid contineret. II. 103.

*Arca Noemica*. Ejus figura, amplitudo, janua, feneſtra &c. I. 131.

*Areopagus*. Deſcribitur, & quæ de S. Dionyſio Areopagita moventur dubia, excutiuntur. VIII. 109. 240.

*Argentei*. Valor 30. argenteorum, quibus Chriſtus venditus eſt. VII. 172.

*Aſininus* cultus. Falſo tribuitur non ſolum Hebræis ſed & Chriſtianis II. 106. V. 12. VI. 12.

*Aſſamonæi* Unde hoc nomen? V. 25.

*Aſſyrii* Pereunte vetere ipſorum imperio tria exordiuntur, videlicet Medorum, Babyloniorum, & Aſſyriorum novum. III. 361.

## B

B*Alaamus*. Fuit Ariolus ſimul & Propheta. II. 278. VI. 43. Quid de illius cum aſina colloquio tenendum? I. 281 Magi fuerunt illius ſectatores. VI. 43.

*Baptiſmus*. Primitus per immerſionem collatus fuit. VIII. 9. Variæ de Baptiſmo in nomine Chriſti collato ſententiæ. 37. Quid Baptiſmus pro *Mortuis*, & *in Igni* VI. 81. VIII. 126.

*S. Barnabas*. An Mediolanum adierit. VIII. 90.

*S. Bartholomæus*. Corpus illius non ſemel transfertur. VII. 279.

*Bellum* Leges circa illud a Moyſe præſcriptæ. II. 239. Quam copioſi Hebræorum exercitus. 240. III. 282.

*Belphegor*. Quid Numinis eſſet. II. 282.

*Belzebub*. Erat Accaronitarum Idolum. VI. 171.

*Benedictiones* Jacobi. I. 361. Moyſis. II. 303. 307.

*Brutii*. Non fuerunt Chriſti tortores. VII. 193.

## C

C*Abaliſtæ*. Quinam. V. 124.

*Cain*. A quibus cultus fuerit. I. 93.

*Cainan*. Quid de eo ſentiant Interpretes. I. 211.

Can-

*Canticum Canticorum*. Grotii impudentia. IV. 83.
*Capitatio* Iſraelitis indicta. II. 105.
*Captivitas* 70. annorum. Ejus initium, & finis. III. 419. IV. 112.
*Caraitæ*. Quinam? V. 123.
*Caro*. An carnibus in cibum primi homines uſi ſint? I. 53. 155. VIII. 82.
*Caſtitas*. Evangelicum de ea conſilium non opponitur illi præcepto: *Creſcite, & multiplicamini*. I. 154. VII. 51.
*Chanaan*. Ex eo Adonidis fabula, & Græcorum Mercurius. I. 193.
*Chaos*. Non uno momento ex eo omnia ſenſibilia educta ſunt. I. 42. 63.
*Cherubim*. Quænam illorum forma? II. 101.
*Circumciſio*. Alia eſt Hebræorum Circumciſio, alia Ægyptiorum, aliarumque Gentium. I. 25. In deſerto omiſſa fuit. III. 3.
*Corban*. Quid? VII. 2.
*Cyrus*. Variæ de illius origine, jure regnandi, & morte opiniones. IV. 229. 232. 241.

D

D*Æmones*. An modo igne torqueantur. VI. 181. Veræ Dæmonum obſeſſiones. 182 In novem claſſes ab Agrippa diſtributi. VIII. 206. Dæmon ligatur per mille annos. VIII. 260.
*Daniel*. Quid ſenſerit Porphyrius de illius oraculis. IV. 162. Quid de eodem Propheta blaterent Rabbini. 167. Illius de 70. Septimanis Prophetia. 169. 254.
*David*. Ipſius polygamia excuſatur, minime vero adulterium. III. 144. 164. Quid ſentiendum de Theſauris pro Templi conſtructione ab eo relictis? 195. An in ejus ſepulcro conditi fuerint theſauri? 209. Non eſt omnium Pſalmorum auctor. IV. 72.
*Deus*. Quomodo omnium ſalutem velit. VIII. 191. Cur

non permittit, ut in obſequio illi exhibendo quiſque ſuum ſequatur arbitrium. 199. Ara *Deo ignoto* ſacra. 104.

*Diana*. Quantum ipſi addicti Epheſii. VIII. 128.

*Dies*. Cur diviſus in 12. horas. I. 7. Unde mos ducendi dies a veſpera in veſperam. 6. 44.

*Diluvium*. Plures de eo Calendarii. I. 140. Fuit univerſale. 146. Burneti ſyſtema improbatur. 152.

*Divortium*. Quantum in illud proclives Hebræi? An mulieribus permiſſum? Quid tenendum de matrimonio poſt ipſum contracto? II. 226. VI. 145. VII. 50.

## E

E*Cbatanorum urbs* deſcribitur. IV. 36.

*Elias* Eo orante ignis milites abſumit. Factum hoc minime improbandum. III. 306. Ejus in cælum raptus. 308. Vide *Henoch*. Eliæ epiſtolæ poſt ipſius mortem Eliſeo traduntur. 325. Traditio Eliæ de Mundi duratione. 310.

*Eliſæus*. Quid Naamano pro Idolo Remmon conceſſerit. III. 321.

*Enos*. Quomodo cœperit invocare nomen Domini. I. 114.

*Eſau*. Cabaliſtæ fabulantur, animam illius in corpus Jeſu Chriſti migraſſe. III. 72.

*Eſdras*. De reſtauratis ab Eſdra ſacris libris variæ ſententiæ. IV. 272.

*Eſſenii*. Unde orti. V. 131.

*Eſther* Quænam illa inter plures Aſſueri uxores? IV. 55. 245.

*Eva*. Variæ de illa fabulæ. I. 50. 110.

*Evangelia*. Veritas horum librorum aſſeritur. VII. 245. Falſa Evangelia recenſentur. 246.

*Ezechiel*. An Pytagoræ fuerit Magiſter. IV. 137.

Fe-

Digitized by Google

## F

*Feminæ*. An cantarent in Templo? III. 199.
*Fides*. Olim fides implicita de Trinitate, & Incarnatione ad ſalutem erat ſufficiens. VIII. 56.
*Fornicatio* interdicta. I. 336. II. 251. VIII. 83.

## G

*Galli* originem ducunt ex Gomer filio Japhet. I. 182.
*Garizim*. Hoc in monte Templum, quod Jovi Hoſpitali dedicatur. IV. 297. V. 17. Lis de illo monte, II. 300. V. 77.
*Gehenna*. Unde hoc nomen. VI. 143. VII. 23.
*Gemmarra*. Quid? V. 124.
*Germani*. Gomer eſt ipſorum Auctor. I. 182.
*Gigantes*. Vere extiterunt. I. 127.
*Gog*, & *Magog*. Qui ſint. I. 182. IV. 136. 242.
*Gomor*. Vas Mannæ. II. 103. 106.

## H

*Hebdomada*. Tria apud Hebræos hebdomadarum genera. I. 5.
*Hebræus*. Unde hujus nominis origo? I. 177.
*Henoch*. Quid ſentiendum de illius translatione, & regreſſu? I. 116. VII. 16. 227. VIII. 250.
*Herodes*. Variæ de illius origine, & morte opiniones. V. 154. VI. 62. Quando inierit Regnum. V. 179. Novum Templum condit. 199.
*Herodiani*. Quinam illi? VII: 8.

## I

*Jacob Patriarcha*. Peccaverit ne ſe ſe pro Eſau ſubmittens? I. 295. Luctans cum Angelo pede vitiatur.

tur. 318. Qua arte ejus corpus conditum fuerit. 378. Celebre ejus de Meſſia Vaticinium. Vide *Jeſus Chriſtus*.

*S. Jacobus Major*. Prædicaverit ne Hiſpanis? VIII. 60.

*S. Jacobus Minor*. Fuerit ne illi permiſſus in Sancta Sanctorum ingreſſus? VIII. 263. Sacramentum extremæ unctionis ab eo promulgatur. 275.

*Idololatria*. Quomodo in Mundum invecta eſt. I. 218.

*Jehovah*. Hoc Dei nomen Moyſi manifeſtatur. II. 2.

*Jephte*. Immolaverit ne filiam ſuam? III. 68.

*Jeremias*. Prædicit 70. annorum captivitatem. III. 414. Unde captivitas exordiatur. 419. IV. 226.

*JESUS CHRISTUS*. Prædictiones de illo factæ a Deo, I. 75., a Jacobo Patriarca, 366. VII. 106. a Balaamo, II. 279. V. 43., a Davide, III. 157. ab Iſaia, III. 363. IV. 98., a Jeremia, IV. 110., a Baruch, 122. ab Ezechiele, 130., a Daniele, 146. 161. 169., a Michæa, 155. VI. 39., ab Habacuc, IV. 204. VI. 35., ab Aggæo, IV. 207., a Zacharia, 212. 215. 216., a Malachia, 218. Jeſu Chriſti Divinitas aſſeritur. VIII. 142. 178. 186. 238. Ipſemet ſuam manifeſtat Divinitatem. VII. 64. 69. 72. 78. III. 152. 168. 170. Natus ne ſit menſe Decembri, & in medio duorum animalium? VI. 34. An ipſo Ægyptum ingrediente Idola corruerint? 55. Cur Nazaræus dictus? 57. Variæ de ipſius annis opiniones. 61. An raptus fuerit ſublimis in aere a Dæmone. 85. Chriſtum ſuam Imaginem ad Abagarum miſiſſe, plures affirmant. 122. Controverſia de illius forma, aliis pulcherrimam, aliis ſecus opinantibus. 122. Transfiguratio. VII. 13. Porphyrius Chriſtum audet mendacii accuſare; ſed falſo. 54. Adulteram abſolvit. 64. Excitati a morte Lazari quam evidens ſit miraculum. 85. Quomodo dies Judicii a Chriſto ignorari dicatur. 126. Ante mortem Paſcha celebravit. 133. An revera ſuaſerit Apoſtolis gladios emere. 150. Euchariſtiam antea promiſſam inſtituit. VI. 305. VII.

142. Unde illius ſudor ſanguinis. 161. Geminæ in illius flagellatione columnæ. 179. De hora Crucifixionis S. Marcus, & S. Joannes conciliantur. 183. An pro omnibus in cruce oraverit? 191. Quid ſibi volunt illa verba, *Hodie mecum eris in Paradiſo*? 154. Moriente Chriſto non ſolum Judæa, ſed terra univerſa tenebris obvoluta eſt. 195. Quid egerit apud Inferos? 208. Judæorum calumnia adverſus Chriſti reſurrectionem, 218. Vices illius ſepulcri. 217.

*Imagines*. Non omnes abſolute vetantur a Lege. II. 67.

*SS. Innocentes*. Cur de illorum cæde ſileat Joſephus. VI. 53.

*S. Joannes Baptiſta*. An ratione a prima infantia uſus ſit. VI. 19. Utrum Judæi ab ipſo baptizati ſua illi peccata confiterentur. 80.

*S. Joannes Evangeliſta*. Obierit ne? VII. 227. An recenſendus inter Platonicos? 243.

*Job*. In libro Job omnia vera, ſed poeticis phraſibus ornata. IV. 9. Clariſſima ipſius de Reſurrectione prophetia. 33.

*Jonas*. Ipſum a piſce voratum negant increduli. IV. 195.

*Joſeph Patriarca*. An ab Ægyptiis, & ab Jeroboamo inter numina translatus? I. 382. III. 263.

*S. Joſephus*. Quando matrimonium inter ipſum & B. Virginem celebratum fuerit. VI. 15. Perpetua ipſius virginitas. 18. Ejus obitus. 60.

*Joſephus Flavius*. Ejus de Chriſto teſtimonium aſſeritur. VII. 250.

*Iris*. Non recens nata recentis fœderis ſignum. I. 158.

*Itali*. Eorum auctor Cettim Japheti Nepos ſtatuitur. I. 188.

*Jubileum Judaicum*. Ejus privilegia. II. 197.

*Judas proditor*. Falſa illius pœnitentia. VII. 171.

*Judicium zeli*. Quid? VII. 170.

*Judith*. Quomodo excuſari poſſit facinus, quo Holophernem decepit. IV. 46.

*Judicium ultimum*. Signa illud præcedentia. VII. 123.

La-

## L

LAmech. Primus Polygamus. An etiam homicida? I. 94.
*Lepra*. An lues venerea? II. 219.
*Lex*. An Deus ante Legem Moſaicam quædam præcepta Noe, aliiſque Patriarchis tradiderit? I. 161. Lex Moyſi palam datur, non ſecreto ut ſolemne eſt impoſtoribus. II. 56. 81. 316. Quid Tabulæ Legis. 83. 94. 104. An Leges Moſaicæ ad Ægyptiarum legum formam expreſſæ ſint. 164. Lex ceteris eminet, excepto Evangelio. 162. VI. I.
*Legalia*. Non ſimul mortua, ac mortifera; de quo non conveniebant S. Hieronymus, & S. Auguſtinus. VIII. 87. Diſcrimen inter ritus Judaicos & ritus Paganicos. 92.
*Lex Oralis*. Quomodo tradita ex Rabbinorum placito. II. 82. V. 123.
*Linguæ*. Occaſione Turris Babelicæ, & lapſus Spiritus Sancti in Apoſtolos. Multa de linguis diſcutiuntur. I. 171. VIII. 12.
*Literæ*. Quando & a quibus inventæ fuerint. I. 112. 194.
*Longinus*. Fueritne idem ac Centurio. VII. 203.
*Loth*. Quid ſentiendum de illius uxore in ſtatuam converſa. I. 261.
*Lux*. Quid prima Mundi die creata lux? 43. 48.

## M

*Machabæus*. Unde hoc nomen? V. 24. Judas recte ſentit de Purgatorio. 49. Quid de Judæ Machabæi victoriis cenſuerit Folardius. 66.
*Magi*. An fuerint Reges ec. VI. 38.
*Mancipia*. Duplex eorum genus. II. 255.
*Manna*. Quæ Iſraelitis pluit, alia eſt a naturali. II. 50.

*S. Marcus*. Variæ opiniones de illius Evangelio, Venetiis ſervato. VII. 240. VIII. 288.
*Mare Rubrum*. Nomen iſtud ex Eſau derivatum. I. 328.
*B. Maria Virgo Mater Dei*. Quomodo in templo fuerit præſentata. VI. 17. II. 116. Ipſius de perpetua Virginitate votum. VI. 6. 18. Cur Joſephus datus fuerit Mariæ in ſponſum? 16. Quid gladius, quo tranſverberata eſt anima illius. 50. An Chriſtum prædicantem ſemper comitata ſit? 94. Utrum Filius illam baptizaverit? 99. Habuerit ne donum linguarum? VIII. 11. Maria vere obiit; obierit autem Hieroſolymis, an Epheſi, a nonnullis diſputatur. 216. Quæ probent, Apoſtolos illius funeri interfuiſſe. 218.
*Maria*. Variæ de triplici Maria ſententiæ. VI. 164.
*Maſſora*. An Maſſoræ cultoribus tribuenda ſint puncta, vocales, accentus, quæ parent in Hebræorum Scripturis. IV. 283.
*Melchiſedech*. Variæ de illo opiniones. I. 235. Sacerdotium illius Aaronico multo præſtantius. VIII. 183.
*Melita*. S. Paulus ad Aphricanam Melitam, non ad Illyricanam appulit. VIII. 162. An in ea Inſula viperæ venenum retineant. 164.
*Menſes*. Nomina menſium apud Hebræos. I. 5.
*Michael*. Ejus altercatio cum Dæmone de Moyſis corpore. II. 313.
*Miſna*. Quid. V. 124.
*Miſſa*. Miſſæ ſacrificium ſacrificio Crucis non adverſatur. VIII. 187.
*Monachi*. Eorum initia. V. 254.
*Moneta*. Primus qui illam ſignaverit apud Hebræos, fuit Simon Machabæus. I. 5. V. 95.
*Montes*. Extiterint ne ante diluvium. I. 152.
*Moſchovitæ*. Oriuntur ex Moſoch Japheti filio. I. 185.
*Moyſes*. Decem plagis Ægyptum percutit. II. 20. &c. Singulares de illius Pentatheuco opiniones. 322. Altera poſt præſentem vitam ab eo indicata. 341. Ejus ſepulcrum ignotum. 314.

*Mundus*. Conditus ſitne vere, an autumno? I. 47. Utrum ſit antiquior eo tempore, quod indicant ſacræ Scripturæ? I. 53. II. 334. Quid de illius origine nonnulli ſomniarint. I. 43. 53. Quænam ejus figura ex veterum opinione. 46. Syſtema Burneti improbatur. 48. 152. Unde orta ſint mala, quæ in Mundo regnant? 74. 78. 83. An univerſali conflagrationi reſervetur? VIII. 200.

N

*Nabuchodonoſor*. Variæ de illius metamorphoſi opiniones IV. 149.

*Nazareatus*. Illius ceremoniæ explicantur. II. 247.

*Nembrod*. Sitne fundator Regnorum Babyloniorum, Chaldæorum, & Aſſyriorum. I. 197. 203.

*Noe*. Vini vim ignorans inebriatur. Cur peccante Chamo maledicit Chanaano ipſius filio? Benedicit Semo, & Japheto. Moritur diviſa in filios ſuos univerſa Terra. Noe refert Saturnum, Japhet Neptunum, Sem Plutonem, Cham Jovem. I. 157.

O

*Oracula Gentilium*. Quibus hæc tribuenda ſint. VI. 36. Diſcrimen inter Dæmonum reſponſa, & Prophetarum oracula. IV. 90.

*Orationes*. A quo Judæis præſcriptæ fuerint. VI. 150.

*Olympiades*. Quando inſtitutæ. III. 358.

*Ophir*. Ubi quærenda hæc Regio? III. 243.

P

*Paradiſus terreſtris*. Quando conditus ſit. I. 65. Variæ de illius ſitu opiniones. 66. An arbor vitæ eadem eſſet ac arbor ſcientiæ. 71. Angelus ad illius cuſtodiam collocatus. 77. Quamdiu in eo Adam ſubſtiterit.

Digitized by Google

rit. 84. Adhuc ne exiſtat? 78. An Henoch & Ælias eo translati ſint. 119. 111. 309.

*Paſcha*. Quando inſtitutum eſt. 11. 27. Quomodo celebrabatur. 29. VII. 146.

*S. Paulus*. Cur nomen *Saulus* in *Paulum* mutatum fuerit. VIII. 70. Ut quid Lyſtrenſes ei ſacrificare volebant? 75. Quid profundum maris, in quo Paulus verſatus eſt? 78. Quo tempore raptus fuerit in Cælum? 47. 132. Cur Timotheum circumcidere voluit, minime autem Titum? 91. Unde Paulo jus Romanæ civitatis? 95. Paulus Areopagitas alloquitur. 100. Cum beſtijs pugnat. 120. Quid ſtimulus carnis quem patiebatur? 133. An Paulus & Seneca mutuo ſibi literas ſcripſerint. 172. Virginitas a Paulo culta. 175. Non excluſit Angelorum cultum. 178. Nec pœnitentiæ remedium. 184. Prima Pauli ad Theſſalonicenſes Epiſtola. 108. Altera ad eoſdem. 109. Ad Galatas. 120. Prima ad Corinthios. 122. Altera ad eoſdem. 131. Ad Romanos. 134. Ad Philippenſes. 173. Ad Philemonem. 176. Ad Coloſſenſes. 177. Ad Hebræos. 180. Prima ad Timotheum 190. Ad Titum. 193. Altera ad Timotheum. 203. Ad Epheſios. 205. Scripſeritne ad Laodicenſes? 179.

*S. Petrus*. Eximia ipſius de Chriſto confeſſio, ejuſque primatus. VII. 10. 226. Non ſemel Romam petiit. VIII. 63. Fueritne merito a S. Paulo reprehenſus. 84. Cur Petrus & Paulus Neronis iram ſubierint? 195. 207. Obieritne S. Petrus eodem anno, quo S. Paulus? 209.

*Periodus Juliana*. Quid illa ſit? I. 29.

*Phariſæi*. Illorum ortus, nomen, & errores. V. 120.

*Philoſophi*. An ſacræ Scripturæ fuerint plagiarii? II. 319. IV. 323. Utrum probis Gentilibus ſalus contigerit. VIII. 137.

*Pilatus*. Quid ſentiendum de Actis ejus nomine vulgatis? VII. 254.

*Polygamia*. Adverſatur primævæ conjugii inſtitutioni. I. 51.

I. 51. Quid de Patriarcharum Polygamia ſentiendum. 243. 284. Quid. de ea Moyſes & Principes ſtatuerint. II. 224.
*Pondus*. An pondus ſanctuarii idem ſit ac pondus regium? I. 14.
*Præadamitæ*. Exploditur eorum ſyſtema I. 54.
*Prædeſtinatio*. Eſt gratuita. VIII. 136.
*Primogenitus*. Quænam illius jura? I. 286.
*Procuratores* Judææ. V. 232.
*Prophetæ*. Non una ratione Spiritus Sanctus ſe ſe illis communicabat. IV. 90.
*Proſeliti*. Alii domicilii, alii juſtitiæ. I. 161. 249.
*Publius Lentulus*. Ejus de Chriſto Epiſtola rejicitur. VII. 255.

R

*Rabbaniſtæ*. Phariſæorum ſecta. V. 123.
*Razias*. Ejus facinus non imitandum. V. 57.
*Rechabitæ*. Quid de illis excogitavit P. Bolducus. III. 338. IV. 113.
*Regimen*. Apud Hebræos a principio fuit theocraticum. II. 232.
*Regnum Cælorum*. Quid hoc nomine ſignificetur. VI. 188.
*Religio*. Status illius in Regnis Judæ & Iſraelis. III. 266.
*Reſurrectio mortuorum*. A Sadducæis negatur, ab aliis Judæis admittitur, ſed non ſine aliquo errore. VII. 108.
*Roma*. Quando condita? III. 360.

S

*Sabbatum*. Quando cœperit eſſe Feſtum. I. 26. II. 70. 191. Iter Sabbati. I. 21. II. 194.
*Sacerdotium*. Quatuor Sacerdotii genera. II. 201.
*Sadducæi*. Eorum ortus, nomen, errores. V. 128.
*Salomon*. Reges Æthiopiæ ex eo ſe ſe ortos profitentur. III. 246. Idola ab ipſo culta. III. 248. An ege-

egerit pœnitentiam? 256. Libri ejus nomine inſcripti. IV. 78.

*Samaria*. A Rege Amri fundatur. III. 280. Ab Hircano evertitur. V. 115.

*Samaritani*. Eorum origo. III. 372. Pentateuchus. 374. Idola. 377.

*Sampſon*. Munus Judicis init. III. 77. 82. Quid dens molaris, ex quo aquam eduxit? 78. Unde prodigioſa illius virtus. 81. Excuſatur a morte ſibi illata. 83. Exhibet magis Chriſtum, quam Herculem. ibidem.

*Samuel*. An Regis jura a ſe expoſita comprobaverit? III. 98. Vere ne poſt mortem Sauli apparuerit? 135.

*Sanguis*. Quando jus ſanguinis Judæis ademptum eſt? VII. 170. 173.

*Saul*. Quot annis regnaverit? III. 105. Quomodo Saul inter Prophetas? 101. 121.

*Scriptura Sacra*. Eſt multis in locis obſcura fatente ipſomet Grotio. VIII. 44. 166. Tripliciter Scriptor ſacer inſpiratus dicitur. 199. Liber Legis autographus ab Helcia reperitur. III. 399. Perieruntne alii Scripturæ libri? 401. IV. 274. De reſtaurata ab Eſdra Sacra Scriptura varii varia ſentiunt. IV. 272. Judæorum Canon. 279. Additio illi facta ab Eccleſia. 282. An Judæi Sacram Scripturam corruperint. 287. Verſio Græca 70. Interpretum aſſeritur. IV. 311. Aliæ Græcæ verſiones. 325. Verſio Vulgata quando, & a quo adornata fuerit. IV. 76. 327.

*Secta*. Quot apud Hebræos. V. 119. VII. 7.

*Sennacherib*. Quomodo ejus exercitus ab Angelo deletus ſit? III. 390.

*Serpens*. De Serpente Evam tentante diverſi diverſa ſenſerunt. I. 80.

*Serpens æneus*. Quid de illo cogitaverit Marſhamus. II. 267.

*Seth*. Quid tenendum de columnis a Sethi filiis juxta Joſephum erectis. I. 113.

*Sinæ*. An ipſis prædicaverit S. Thomas Apoſtolus. VIII. 257.
*Sodoma*. Illius incendium deſcribitur. I. 259.
*Solis & Lunæ ſtatio*. Veritas hujus prodigii aſſeritur. III. 15.
*Spartiatæ*. Quænam inter ipſos & Judæos cognatio? V. 8.
*Stationes Iſraelitarum in deſerto*. Quot fuerunt. II. 293.
*Sudarium Veronicæ*. Quid de illo ſentiendum? V. I. 186.
*Suſanna*. Veritas illius Hiſtoriæ probatur. IV. 143.
*Symbolum*. Quando & quomodo ab Apoſtolis conditum? VIII. 67.
*Sinagoga magna*. Centum & viginti virorum ſenatus. IV. 277.
*Synedrium*. Illius initium & finis. II. 278.

T

*Talmud*. Aliud Hieroſolymitanum, aliud Babylonicum. V. 124.
*Templum*. Triplex erat Salomonicum. III. 225. Zorobabelicum. IV. 240. Herodianum. V. 149. Alia duo Templa, ſed ſchiſmatica, nempe Garizianum & Onion. V 75. 309. Vide *Garizim*.
*Therapeutæ*. Eorum mores. V. 215. Fuerint ne Chriſtiani? 253.
*Theraphim*. Quid eſſent, & cur Rachel illa rapuerit? I. 312.
*Tiberius*. Duplex illius Imperium. VI. 69.
*Tobias*. Fumo jecoris Dæmonem pellit. IV. 26. Felle oculos patris ſanat. 30.
*Traditio*. Ipſius auctoritas. VIII. 112.
*Tranſmigratio Animarum*. Hæc opinio apud Hebræos vigebat. I. 26. VI. 208.
*Tribunal*. Triplex apud Hebræos. II. 236. VI. 142. Quid in Judiciis ſervandum? II. 248.
*Tribus*. Quem locum circa Tabernaculum tenerent. II. 100. 149.

*Tur-*

*Turcæ*. Auctor illarum Thogorma Japheti nepos. I. 187.
*Turris Babelica*. Quo conſilio fabricata? I. 166. 170.
*Turris Beli*. Eadem ne ac Babelica? I. 169.

## V

*Veſtes*. Veſtes Iſraelitarum in deſerto non atteruntur. II. 299.
*Vita*. Unde diuturna Patriarcharum vita? I. 106. 130.
*Votum*. An redimi poſſet? II. 246.
*Urim & Thumin*. Per ea ſummus Sacerdos Deum conſulebat. II. 120.

## Z

*Zabii*. Diſcipulos S. Joannis Baptiſtæ ſe ſe prædicant. VI. 81.
*Zacharias, Pater S. Joannis Baptiſtæ*. Fueritne martyr? VI. 12.
*Zacharias Barachiæ Filius*. Quiſnam ille? V. 293. VII. 35.
*Zelotæ*. Judæorum Secta. V. 234.

*FINIS.*

# TOM. I.

| Pag. | l. | Errata | Corrige. |
|---|---|---|---|
| 5. | l. 31. | Hebræis *Sabbathi* | Hebræis *prima Sabbathi* |
| 6. | 3. | qua phraſes | quæ phraſes |
| 7. | 13. | ineſt | eſt |
| 16. | 8. | 20. | 24. |
| | 13. | virgulam | regulam |
| 44. | 10. | quidem | quidam |
| 46. | 14. | explicatione | explicationes |
| 64. | 17. | nt, ut | ut |
| 71. | 22. | translatum | translatus |
| 77. | 19. | conſtitutam | conſtitutum |
| 94. | 1. | Irad | Irad, Irad |
| 99. | 13. | 788. | 782. |
| 108. | 19. | Qui Chriſtiani, qui | Qua Chriſtiani, qua |
| 121. | 20. | *egerant* | *egerunt* |
| 132. | 12. | corrumperetur | corrumpatur |
| 140. | 19. | Civilis | Sancti |
| 143. | 25. | montes | monte |
| 179. | 2. | Geber | Heber |
| 193. | 10. | Jeſos | Jcſos |
| 194. | 6. | tranſformatus | transformatum |
| | 7. | conſacrata | conſacratus |
| 195. | 7. | generes | gentes |
| 199. | 1. | ſucceſſit | ſeceſſit |
| | 26. | quia | quin |
| 200. | 14. | Zola | Tola |
| 207. | 10. | prorſus | portus |
| 213. | 4 | ſequentem | ſequente |
| 227. | 14. | Judæis | Juſtinus |
| 244. | 16. | recta | rectas |
| 249. | 10. | lex | lex minime |
| 259. | 1. | fatu | fato |
| 274. | 7. | illis | illi |

280.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 280. | 11. & | ut |
| 287. | 21. Qui | Quin |
| 289. | 19. illos | ad illos |
| 296. | 13. majori | majorem |
| 307. | 24. proveniſſe | provexiſſe |
| 322. | 6. IV | IX |
| 329. | 22. Idumæos | Idumæam |
| 350. | 10. alterutrius | alterius |
| 365. | 18. fuerit | fuerint. |

## T O M. I I.

| | Errata | Corrige. |
|---|---|---|
| Pag. 11. l. | 8. aperto | operto |
| 16. | 23. Moyſe | Moyſes |
| 59. | 15. ipſumque | ipſum |
| 70. | 18. volunt | colunt |
| 92. | 3. fuerit | fuerat |
| 131. | 16. victimam | victimæ |
| 150. | 6. quid nimio | quod nimio |
| 18?. | 12. quod | quem |
| 183. | 21. ovem | avem |
| 191. | 24 aliquando | aliquanto |
| 195. | 19. radice, quam vero a montis vertice, unde | radice uſque ad urbis mænia; cum Lucas duxerit a montis vertice, unde |
| 201. | 2. addendus | addendum |
| 208. | 1. vocat | vocant |
| 248. | 28. dementiæ | clementiæ |
| 262. | 32. loc. cit. | l. 3. c. 5. n. 2. |
| 270. | 25. miſſi | miſſis |
| 276. | 9. Pharga | Phaſga |
| 281. | 30. Nonnes | Nonne |
| 287. | 33. Vide hanc Hiſtor. | Vide hanc Hiſtor. l. 3. c. 17. n. 3. |

| | | |
|---|---|---|
| 295. | 15. adcicula | ædicula |
| 297. | 10. Emaſa | Emeſa |
| 315. | 17. Ægyptum | Ægyptium |
| 321. | 10. Pentatheuchum | Pentatheuchus |
| 324. | 13. tribuendas | tribuendam |
| 327. | 21. Vajiera | Vajicra. |

## TOM. III.

| | *Errata* | *Corrige.* |
|---|---|---|
| Pag. 19. l. | 4. vigore | rigore |
| | 25. plenam | planam |
| 39. | 8. Solo | Silo |
| 68. | 31. vito | viro |
| 80. | 12. nervicibus | nerviceis |
| 103. | 11. renunciantes | renunciarunt |
| 105. | 31. putrem | patrem |
| 116. | 26. certamini | certaminis |
| 149. | 19. montem | monte |
| 167. | 14. capitis | capiti |
| 192. | 28. unicus | unus |
| 195. | 22. imaginem | imagini |
| 214. | 8. Adonia | Adoniam |
| 215. | 29. quam | quem |
| 218. | 1. fureris | frueris |
| 222. | 28. confiſta | conſita |
| 231. | 17. pilana | pilaria |
| 242. | 6. ſolitudinis | ſolitudine |
| | 32. æquis | equis |
| 244. | 16. protraheret | protrahere |
| 251. | 22. fragrantes | flagrantes |
| 263. | 1. Altaris | Altari |
| 266. | 20. dignum | indignum |
| 269. | 16. ſcutata | ſcuta |
| 291. | 22. functione | unctione |
| 300. | 32. Qui | Cui |

| | | |
|---|---|---|
| 323. | 32. ille | illi |
| 330. | 6. Rex Damaſci | Damaſci |
| 362. | 1. regia | regias |
| 371. | 1. amnes | amnis |
| 385. | 8. ſimuli | ſtimuli |
| 389. | 13. navibus | naribus |
| 390. | 13. veris | verſis |
| | 32. Job. | Tob. |
| 397. | 12. inſervandam | inſerendam |
| 410. | 2. Regnum | Regno |
| 413. | 4. octo | decem. |

## TOM. IV.

| | *Errata* | *Corrige.* |
|---|---|---|
| Pag. 8. l. | 8. tempori | temporis |
| 30. | 26. admittent | admittet |
| 33. | 3. deferentes | deferens |
| 53. | 11. Privatum | Pavimentum |
| 66. | 9. dici | dixi |
| 114. | 9. pro | præ |
| 117. | 14. opprimendo | opprimendos |
| 124. | 22. ſederit | ſederet |
| 128. | 32. vidi | vidit |
| | 14. Origenes | Origene |
| 152. | 8. aberrat | aberat |
| 165. | 1. ſibi | tibi |
| | 31. potuiſſe | potuiſſet |
| 178. | 17. anguſtiam | anguſtia |
| 186. | 31. Qui | Cui |
| 204. | 1. *Schegiononoth* | *Schegiovoth* |
| | 23. atrio | antro |
| 206. | 12. verus | verſus |
| 208. | 25. *cunctis* | *commovit* |
| 212. | 1. Jeſum | Jeſu |
| 215. | 26. reſpondit | rependit |

228.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 228. | 8. | illum | illam |
| 233. | 24. | alleno | alienum |
| 248. | 25. | Themopylas | Thermopylas |
| 250. | 12. | ſediſſe | ſtetiſſe |
| | 25. | illud | illum |
| 259. | 26. | alteram | alteri alteram |
| 263. | 7. | piviniſque | diviniſque |
| 279. | 16. | ſolum | ſola |
| 281. | 3. | Illi | Illis |
| 284. | 9. | aſſervatos | aſſervatas |
| 293. | 8. | matre | mater |
| 294. | 11. | Artaxeris | Artaxerſis |
| 295. | 3. | Jeſu fratris Jonathani ſummi Sacerdotis vitio | Jeſu vitio |
| 299. | 11. | mutus | motus |
| 300. | 16. | videndo | vivendi |
| 301. | 28. | Perſium | Perſeum |
| 303. | 5. | eas | eos |
| | 26. | Siſigambim | Siſigambim |
| | 13. | Alexander | Alexandri |
| 320. | 6. | Phyſeonis | Phiſconis |
| 329. | 1. | Rex | Res |
| 333. | 21. | veo | vero |
| 336. | 5. | deferendam | deſerendam |
| | 15. | occidebatur | occidebantur |
| 339. | 28. | Phyconem | Phyſconem |
| 241. | 27. | Belli | Beli |

## T O M. V.

| *Errata* | | | *Corrige.* |
|---|---|---|---|
| Pag. VI. | l. 33. | Alexandrum | Alexandram |
| X. | 22. | dictio | ditio |
| XI. | 16. | dictione | ditione |

| | | | |
|---|---|---|---|
| 11. | 22. | Aratæ | Aretæ |
| 14. | 12 | ſuos | ſues |
| 25. | 8. | Judæi | Judæ |
| 28. | 23. | Modin | Modin ad |
| 36. | 12 | Betheroni | Betheron |
| | 22 | peragendis | purgandis |
| 37. | 28. | ille conciliatur | illæ conciliantur |
| 41. | 4. | Macror | Macron |
| | 19 | Timotheum | Timotheus |
| 56. | 23 | Alcioni | Alcimo |
| 63. | 20 | Ninacoris | Nicanoris |
| 81. | 6. | Ptolomæo | Ptolomæus |
| 105. | 22. | totum | tutum |
| 142. | 3. | natus | nactus |
| 149. | 4. | Regibus | Regibus circa |
| 164. | 8 | Alexandriam | Alexandrion |
| 183. | 4. | Antonium, Julium Cæſarem, & Octavium | Antonium, & Octavium |
| 187. | 28. | Acticum | Actium |
| 200. | 32. | l. 3. | l. 6. |
| 209. | 21. | effecto | effeto |
| 212. | 20. | promiſiſſet | promiſiſſe |
| 225. | 30. | octavam | octavâ |
| 231. | 5 | uſuque | uſuſque |
| 237. | 14. | Cæſaræ | Cæſaream |
| 254. | 6. | panes | panes non |
| 272. | 11. | donatos | donata |
| 303. | 5. | quos | qui |

TOM.

## T O M. V I.

| | | | *Errata* | *Corrige.* |
|---|---|---|---|---|
| Pag. | 7. | l. 15. | potentis | potentiis |
| | 8. | 10. | gravidatis | graviditatis |
| | 15. | 15. | ſolemnes | ſolemnis |
| | 36. | 6. | diligendo | deligendo |
| | | 10. | *teſtemque* | *triſtemque* |
| | 37. | 28. | alii | aliis |
| | 45. | 34. | c. 9. | c. 11. |
| | 79. | 28. | quidam | quadam |
| | 80. | 7. | exegerent | exigerent |
| | 85. | 3. | accurrent | accurrentes |
| | 95. | 17. | *item* | *iſta* |
| | 101. | 29. | teſtatur | teſtantur |
| | 109. | 21. | Photianam | Photinam |
| | 115. | 2. | *ſit* | *ſis* |
| | 140. | 18. | Porro | Porro octo |
| | 159. | 24. | illo | illos |
| | 191. | 5. | feratis | feretis |
| | 194. | 19. | efflagitantem | efflagitante |
| | 202. | 5. | verticis | vorticis. |

## T O M. V I I.

| | | | *Errata* | *Corrige.* |
|---|---|---|---|---|
| Pag. | 3. | l. 19. | planas | plantas |
| | 11. | 30. | Talm. | Calm. |
| | 15. | 34. | 18. | 1. |
| | 75. | 31. | 11. | 9. |
| | 41. | 17. | illo via | illo in via |
| | 47. | 8. | paratus ſit | paratus non ſit |
| | 62. | 29. | una ceteris | una cum ceteris |
| | 82. | 8. | manere | imminere |
| | 95. | 24. | Urbem | Orbem |

| | | | |
|---|---|---|---|
| 98. | 32. | Joeh | Joan. |
| 118. | 2. | Judiciis | Judicii |
| 133. | 14. | dies | die. |
| 136. | 33. | Seſſ. 22. c. 1. | Matth. xxvi. 17. |
| 149. | 6. | quem ſi | quem ritum ſi |
| 182. | 6. | ſepti | ſecti |
| 197. | 30. | afferuntur | variæ afferuntur. |

## TOM. VIII.

| | | *Errata* | *Corrige.* |
|---|---|---|---|
| Pag. 10. l. | 18. | libertates | libertate |
| 14. | 21. | e nativitate | a nativitate |
| 25. | 21. | Simon | Simeon |
| 37. | 11. | iſta | ita |
| 56. | 11. | ferat | fuerat |
| | 23. | explicata | explicita |
| 64. | 19. | ut | & |
| 72. | 28. | an | ac |
| 86. | 11. | Patrum | Petrum |
| | 13. | Petrum | Patrum |
| | 22. | abſtinendum | abſtinendo |
| 116. | 3. | Fidelis | Fideles |
| 118. | 19. | victæ | vittæ |
| 135. | 13. | Sibas | Silas |
| | 30. | afferebant | efferebant |
| 139. | 30. | Vatro | Varro |
| 147. | 5. | ſe | te |
| | 12. | ſumptu | ſumptus |
| 149. | 3 | hiſtoria | hiſtoriam |
| 164. | 26. | vigentia | rigentia |
| 201. | 17. | ſubtiliſſimæ | ſubtiliſſimas |
| 203. | 3. | viris | vivis |
| 207. | 25. | Plantillam | Plautillam |
| 219. | 4. | reddiras | redditus |
| 255. | 14. | Manentius | Maxentius |

| | | |
|---|---|---|
| | 32. l. 15. | l. 15. c. 2. n. 6. |
| 269. | 13. (c) | (d) |
| | 29. (d) | (c) |
| 274. | 5. ad | ab |
| 280. | 12. (a) | |
| | 28. (b) | (a) |
| 289. | 18. aſportate | aſportatæ. |

Alios errores non invitus condonabit Lector, qui ſciat, Auctorem Romæ commoratum fuiſſe, dum Opus Venetiis ederetur.

MAG 928
VITT... BIBLIOTECA ... ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google